
ERRATUM.

On page 23, line 17, read

CIG. 1570, b, 3: Λύσανδρος *κανοῦν*, ὁλκὴ Η𐅄ΔΔΔ⊢⊢⊢.



DE REBVS AD POMPAS SACRAS APVD GRAECOS PERTINENTIBVS QVAESTIONES SELECTAE

QVAS INSTITVIT

ARTHVRVS G. LEACOCK

PRAEFATIO

CVM multae res quae ad pompas sacras apud Graecos pertinent haudquaquam satis adhuc enucleatae sint, et cum nulla nisi fallimur commentatio sit de huius generis caerimoniis universis edita, perutile nobis esse videtur, testimoniis scriptorum veterum ac monumentorum conlectis, naturam et rationem pomparum tractare. Nam etsi nonnulli viri docti in pompas festis gravioribus ductas (ut Panathenaea, Dionysia, et Eleusinia[1] tantum nominemus) operam sedulo impenderunt, tamen si enchiridia antiquitatum Graecarum sub voces πομπή, πομπεῖα, πομπευτής, vel etiam κανηφόρος et κανοῦν inspicias, nulla omnino vel pauca admodum de his rebus in promptu reperientur.[2] Sed certe si quis omnia veterum instituta ac vitam sibi ante oculos proponere studeat, haec spectacula ei non praetermittenda sunt; nam Graeci propter pietatem in deos permultas pompas ad eorum fana, non solum statis diebus sed etiam cum tempus posceret, sumptu vel publico vel privato ducere solebant. Quod cum ex nominibus sollemnium et mensum quae in -φορια et -φοριων exeunt satis apparet,[3] tum praecipue ex inscriptionibus et multis apud scriptores antiquos locis conligi potest. Huc etiam accedit quod, ut infra demonstrabitur, omnibus fere sacris in quibus victimae vel dona quaedam ad deos transmittuntur nomen πομπή inditum est.

---

[1] Testimonia antiqua de pompa Panathenaica Michaelis (*Der Parthenon*, pp. 327–332) conlegit et disposuit. De hac et aliis Atticorum pompis vir doctissimus A. Mommsen in libro qui *Feste der Stadt Athen im Altertum* (1898) inscribitur (olim *Heortologie*, 1864) fuse lateque disputat.

[2] e.g. Stengelius in libro suo, *Die griechischen Sakralaltertümer*, inter caerimonias deorum (*Kultushandlungen*, pp. 57–129) pompas nusquam nominat.

[3] Ἀρρηφόρια, Ἀνθεσφόρια, Δενδροφόρια, Δαφνηφόρια, Θεσμοφόρια, Ὠσχοφόρια, Σκιοφοριών, Δᾳδαφόριος (Delphicus mensis), Λαμπαδηφορία.

Has igitur caerimonias Aristophanes, poeta comicus, qui in popularium suorum institutis moribusque describendis inter omnes excelluit, in scaenam frequenter producit;[1] neque id solum sed etiam in carmine dulcissimo, quo Atticam patriam suam celebrat, pompas sacras quodam quasi vinculo inter templa magnificentissima et deorum simulacra conligatas digne commemorat. Cf. *Nub.* 299 sqq.:

ΧΟΡ. *παρθένοι ὀμβροφόροι,*
ἔλθωμεν λιπαρὰν χθόνα Παλλάδος, εὔανδρον γᾶν
Κέκροπος ὀψόμεναι πολυήρατον·
οὗ σέβας ἀρρήτων ἱερῶν, ἵνα
μυστοδόκος δόμος
ἐν τελεταῖς ἁγίαις ἀναδείκνυται,
οὐρανίοις τε θεοῖς δωρήματα,
ναοί θ' ὑψερεφεῖς καὶ ἀγάλματα,
καὶ πρόσοδοι μακάρων ἱερώταται,
εὐστέφανοί τε θεῶν θυσίαι θαλίαι τε,
παντοδαπαῖς ἐν ὥραις. . . .

Summo gaudio igitur et laetitia Graeci pompas deorum aspiciebant. His sollemnibus autem ei qui propter aes alienum in carceres coniecti erant, ex vinculis liberati, in publicum prodibant;[2] viae quibus agmina pompeutarum (utendum est enim brevitatis causa vocabulo non adhuc vulgato) ad templa deorum processura erant, ne aliquid mali accideret, a sordibus purgatae sunt;[3] plateas publicas cives omnes celebraverunt, vestimentis splendidissimis sumptis: sic enim Theocritus habitum Simaethae, quae pompam Dianae spectatum venit, describit (*Id.* 2, 70–75):

καί μ' ἁ Θευχαρίδα Θρᾷσσα τροφὸς ἁ μακαρῖτις
ἀγχίθυρος ναίοισα κατεύξατο καὶ λιτάνευσε
τὰν πομπὰν θάσασθαι· ἐγὼ δέ οἱ ἁ μεγάλοιτος
ὡμάρτευν βύσσοιο καλὸν σύροισα χιτῶνα
κἀμφιστειλαμένα τὰν ξυστίδα τὰν Κλεαρίστας.[4]

---

[1] *Acharn.* 241 sqq., *Av.* 849 sqq., *Eccl.* 730 sqq., *Plut.* 1197 sqq.

[2] Cf. interpretem antiquum ad Dem. 22, 68: *ἔθος ἦν παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ἐν τοῖς Διονυσίοις καὶ ἐν τοῖς Παναθηναίοις τοὺς δεσμώτας ἀφίεσθαι τοῦ δεσμοῦ ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, παρασχόντας ἐγγυητὰς πρὸς τὸ μὴ φυγεῖν, ἵνα καὶ τὸ εὐσεβὲς γένηται πρὸς τὸ θεῖον καὶ ἀσφαλὲς ὑπάρχῃ τοῖς χρεωστουμένοις.*

[3] Vide infra pp. 43–44.

[4] Cf. etiam Theoc. *Id.* 15, 130 sqq.

Cum autem festis diebus fere solis virgines Graecae in publicum prodirent, saepe accidebat ut multae quae adhuc curarum amoris malarum expertes fuerant, iuvene candidissimo conspecto, in eum exardescere inciperent. Itaque hoc minime mirum est quod Simaetha (apud Theoc. *Id.* 2, 76–86) Delphin ita amare coepit ut pompae prorsus oblivisceretur:

> ἤδη δ' εὖσα μέσαν κατ' ἀμαξιτόν, ᾇ τὰ Λύκωνος,
> εἶδον ὁμοῦ Δέλφιν τε καὶ Εὐδάμιππον ἰόντας.
> τοῖς δ' ἦν ξανθοτέρα μὲν ἑλιχρύσοιο γενειάς,
> στήθεα δὲ στίλβοντα πολὺ πλέον ἢ τὺ Σελάνα,
> ὡς ἀπὸ γυμνασίοιο καλὸν πόνον ἄρτι λιπόντων.
> φράζεό μευ τὸν ἔρωθ' ὅθεν ἵκετο, πότνα Σελάνα.
> χὠς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη
> δειλαίας· τὸ δὲ κάλλος ἐτάκετο, κοὔτε τι πομπᾶς
> τήνας ἐφρασάμαν, οὐδ' ὡς πάλιν οἴκαδ' ἀπῆνθον
> ἔγνων, ἀλλά μέ τις καπυρὰ νόσος ἐξεσάλαξα·
> κείμαν δ' ἐν κλιντῆρι δέκ' ἄματα καὶ δέκα νύκτας.

Haud secus quoque Alcesimarchus, Selenio visa, amore perditus est (Plaut. *Cist.* 89 sqq.):

> LE. Ópsecro,
> Quó is homo insinuáuit pacto se ád te? SE. Per Dionýsia
> Máter pompam mé spectatum dúxit. dum redeó domum,
> Cónspicillo cónsecutust clánculum me usque ád fores:
> Índe in amicitiam ínsinuauit cúm matre et mecúm simul
> Blánditiis, munéribus, donis. LE. Míhi istunc uellem hominém dari:
> V́t ego illum uorsárem. SE. Quid opust uérbis? consuetúdine
> Coépi amare cóntra ego illum, et ílle me.

Sed vero hoc fecisse neque virgines neque iuvenes paenitebat, quod sibi deus ipse huiusmodi perturbationis documentum fuisset. Nam Mercurius ab Africa ad Olympum revolans (ut narrat Ovidius, *Met.* 2, 708 sqq.) Athenas venit:

> Hinc se sustulerat paribus Caducifer alis:
> Munychiosque volans agros gratamque Minervae
> Despectabat humum cultique arbusta Lycei.

Attici autem sollemnia Minervae celebrabant:

Illa forte die castae de more puellae
Vertice subposito festas in Palladis arces
Pura coronatis portabant sacra canistris.

Tum deus, simul atque Hersen canephorum vidit, amore gravi perculsus est:

Quanto splendidior quam cetera sidera fulget
Lucifer, et quanto te, Lucifer, aurea Phoebe:
Tanto virginibus praestantior omnibus Herse
Ibat eratque decus pompae comitumque suarum.
Obstipuit forma Iove natus, et aethere pendens
Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum
Funda iacit: volat illud et incandescit eundo.

Sed fabulis relictis, ut exemplum ex vera historia eruamus, Plutarchus testatur virgines Laconicas in pompis deorum ita prodire solitas esse ut iuvenes uxores sibi eas poscerent. Cf. *Lycurg.* 14: οὐδὲν ἧττον εἴθισε τῶν κόρων τὰς κόρας γυμνάς τε πομπεύειν καὶ ἱεροῖς τισιν ὀρχεῖσθαι καὶ ᾄδειν τῶν νέων παρόντων καὶ θεωμένων . . . Pergit Plutarchus (cap. 15): ἦν μὲν οὖν καὶ ταῦτα παρορμητικὰ πρὸς γάμον· λέγω δὲ τὰς πομπὰς τῶν παρθένων καὶ τὰς ἀποδύσεις καὶ τοὺς ἀγῶνας ἐν ὄψει τῶν νέων. Hodie etiam apud Megarenses mos est ut virginum chori die tertio post Pascham cursus orchesticos patrio ritu ad numeros quosdam per forum huc illuc moveant. Hae autem virgines vestibus ornatissimis indutae, non solum omnium oculos ad se convertunt, sed etiam procos adlicere dicuntur. Sed haec alia quaestio est. Nos ad propositum revertamur.

Praeterea notandum est permultas pompas apparatu magnificentissimo instructas esse. Currus enim sacri fuerunt; vestimenta ornatissima, coronae, vasa ex auro argentoque facta inter ea utensilia quae πομπεῖα dicuntur nominanda sunt. Hinc, ut Cicero iucunde narrat,[1] *Socrates in pompa cum magna vis auri argentique ferretur, 'Quam multa non desidero!' inquit.* Quanta vero in hos sumptus pecunia erogata sit, ex rationibus quaestorum pomparum quas infra disposuimus satis perspicue apparet.[2] Cum autem Athenienses, imperio dilapso, sollemnia annua

[1] *Tusc. Disput.* 5, 91.

[2] Vide infra pp. 44–45.

minore quam antea sumptu celebraverint, Diadochi tamen qui recentiore aetate regno Alexandri Magni partito successerunt opes suas in pompas luxuriae atque impensae immoderatissimae profundere soliti sunt. Vide Athenaeum, 197 C–203 B.

Tum autem Romanos quoque patrio ritu multas deorum pompas instruendas curavisse satis inter omnes constat. His etiam pompis nonnullas quae originem a rebus apud Graecos divinis deduxerunt nobis addere licet; nam in institutis sacris Romanorum quin permulta sive cultus deorum sive caerimoniae sive ritus a Graecis ducta sint nemo fere dubitat.

Inde a primo post Christum natum saeculo Veteris Ecclesiae patres, cum contra cultus inanium deorum scribere coepissent, pompas quoque propter idololatrian *principale crimen generis humani* verbis severis reprehenderunt. Cf. Tertullianum, *De Spectaculis*, cap. 7:

Proinde apparatus communes habeant necesse est de reatu generali idololatriae conditricis suae. Sed circensium paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen pompa, praecedens, quorum sit in semetipsa probans de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de tensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis. Quanta praeterea sacra, quanta sacrificia praecedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moveantur, sciunt homines illius urbis in qua daemoniorum conventus consedit . . . Tum de pompis in provinciis et urbibus minoribus pergit Tertullianus: *etsi pauca simulacra circumferat, in uno idololatria est; etsi unam tensam trahat, Iovis tamen plaustrum est: quaevis idololatria sordide instructa vel modice locuples splendida est censu criminis sui.*

Ab his pompis Christianos priscos abstinuisse dicit persona Caecilius apud Minucium Felicem (*Octav.* cap. 12):

Nonne Romani sine vestro Deo imperant, regnant, fruuntur orbe toto, vestrique dominantur? Vos vero suspensi interim atque solliciti, honestis voluptatibus abstinetis: non spectaculis visitis, non pompis interestis.

Sed vero dum Ecclesia adolescit et a fontibus disciplinae Christianae incorruptis longius abscedit, multae ex falsorum deorum cultibus caerimoniae in ritus simplices ab Apostolis acceptos aut sensim inrepserunt aut, nullo fere adversante, auctoritatem principum Ecclesiae concilia-

verunt. Ex quo accidit ut eae pompae quae Carnavalibus, quae vocant, etiam hodie transmittuntur multis ante saeculis exorerentur.[1] Nonnulla igitur a pompis antiquis ducta usque ad nostra tempora permanserunt.

Nunc restat ut de finibus quas in hoc opusculo ordinando constituimus breviter dicamus, ne nos equidem τὸν πύνδακα εἰσκρούειν quod aiunt videamur. Consilium erat nobis olim propositum pompas singillatim tractare, quod vero, quandoquidem difficultates vel maximas invenimus, in tempus abiciendum est. Nam si studeas pompas sacras singillatim explicare et de omnibus rebus ad has pertinentibus luculenter atque copiose disserere, necesse est omnes deorum cultus pervestigare et eorum vel naturam vel rationem vel caerimonias explicatius exponere. Sed evenit dum in haec studia operam impendimus ut hoc animadverteremus eadem quasi elementa vel partes pompis singulis semper fere inhaerere. Haec igitur investigare in animo est, et speramus, initio facto, rem eo venturam esse ut nos postea omnes Graecorum pompas fusius quam in eiusmodi opusculo fieri possit pertractemus. Hactenus haec. Iam per singula quae ad pompas deorum pertinent persequamur.

Primum vero placet ante definire quid sit pompa. Itaque hanc quae in *Forc. Lex.* proponitur definitionem, quandoquidem cum rebus optime congruit, subicimus:

> *Pompa proprie est transvectio apparatus sollemnis per publicas vias cum ostentatione et specie quadam triumphi et agmine plurium incedentium tam in laetis rebus quam in lugubribus. Huiusmodi erant deductio sponsae in domum sponsi, exsequiae, transvectio sacrorum in ludis, supplicationibus, triumphis.*

Talis in universum pompa est. Sed ut sacras Graecorum pompas penitus pervestigemus, necesse est haec genera distinguere:

1. Primum vero notum est veteres ut ante oculos spectatorum demonstrarent quo modo res gravissimi momenti divinae ortae essent,

---

[1] Vir doctissimus Schickius Monacensis nos per amicum certiores benigne facit vocem *carnival* neque a *carnem* + *vale* (ut vulgo existimatur), neque a *carnem* + *levāre* (ut vult nescio quis in *Lex. Oxon.*), sed a *currus* + *navalis* (cf. Gall. *carnaval*) magna cum probabilitate deducendam esse. Manifestum est enim navem Panathenaicam, currus sacros, tensas, et vehicula alia in apparatus illos qui apud nos "floats" dicuntur abisse.

caerimonias quasdam statis temporibus quasi denuo egisse; e.g. cum dies festus recurrerat quo cultus et ritus nescio cuius dei in patriam olim introducti erant, simulacrum vel alia sacra dei extra urbem deportabantur ut inde per vias communi omnium gaudio reverterentur. Cf. pompam Dionysi Eleutherensis quam Pausanias (1, 29, 2) commemorat.[1] Huius generis pompa a veteribus ἄνοδος τοῦ θεοῦ vel ἀνάβασις τοῦ θεοῦ vocabatur. Vide *Bull. de Corr. Hellénique*, 1887, p. 385. Currus autem quo simulacrum dei vehebatur ἱερὰ ἀπήνη vocatus esse videtur; nam exstat nummus Ephesius (vide Head, *Historia Numorum*, p. 498) qui inscriptionem ΙΕΡΑ ΑΠΗΝΗ ostendit. Hoc vero pomparum genus, quia in his victimae ad deos ab agminibus pompeutarum nonnumquam ducebantur, cum genere altero quod infra exponitur in parte congruit.

2. Deinde pompas illas considerare licet omnium usitatas in quibus antiqui hostias aut dona quaedam ad deorum templa sive ut votum persolverent sive ut numina sibi conciliarent transmittebant.[2] Huius generis pompae cum aliae alio modo ductae sint, easdem fere partes (ut ita dicamus) habent. Has igitur ut examinemus, auctores veteres et monumenta testes proferamus:

Vas quoddam vetustioris artis nigris figuris exornatum quod in Museo Brittanico servatur pompam sacrificalem ostendit.[3] Ad aram deae procedit canephorus, quam sequuntur duo viri taurum agentes. Inter hos tibicen tibias pares inflat. Tum quattuor pompeutae se excipiunt; ex his vero unus vasculum (χερνιβεῖον, ut videtur) fert, alii faces et coronas portant. Deinde alii quattuor pompeutae biiugo mulorum vehiculo vehuntur. Post agmen sequitur vir qui virgam (ῥάβδον) in manu tenet. Hanc picturam vir Anglicus Cecil Smithius erudite interpretatus est (*Journal of Hellenic Studies*, I, pp. 202–209): sub

---

[1] Idem fere ritus apud Sicyonios, Paus. 2, 7, 5–6. Cf. etiam pompam Apollinis et Dianae eadem in urbe a quattuordecim virginibus et pueris ductam, Paus. 2, 7, 7–8.

[2] Hoc optime declaravit Hermannus (*Lehrbuch der griech. Antiq.* II, cap. 15): Ursprünglich war es immer ein bestimmter Gegenstand dem auf solche Art unter festlichen Gesängen das Geleite gegeben ward, und insbesondere erscheint es als Zweck solcher Processionen irgend etwas zu tragen was mit der Bedeutung des Gottes oder seines Festes in Beziehung stand. Doch konnte es eben so gut auch ein Bittgang sein der Opfer und Weihgeschenke nach einem Heiligtum brachte.

[3] *Catalogue of Vases* (British Museum), B 405.

diem nuptialem patrem virginis et propinquos eius pompam ad deam Minervam ducere ut sacrificia (*προτέλεια* vel *προγάμεια*) boni eventus causa faciant. Huic viro docto adsentimur. Sed haec alias; nostra quidem aliis rebus omissis hoc tantum interest quas partes pompa sacrificalis habeat.

Cum hac vasis pictura locus Aristophanis comici quo res divinae quaedam describuntur mirum quantum congruit. Nam in fabula *Avibus* (vv. 848–862) Pisthetaerus, urbis Nephelococcygiae conditor, ut sacrificia dis novis faciat pompam instruendam suscipit. Hos igitur versus infra disposuimus quibuscum singula ex vasis pictura hausta comparantur:

VAS	ARISTOPHANES
Pompa	848 *ἐγὼ δ' ἵνα θύσω τοῖς καινοῖσι θεοῖς,* 849 *τὸν ἱερέα πέμψοντα τὴν πομπὴν καλῶ.*
Canephorus	850 *παῖ, παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε . . .* 864 . . . *ἀλλὰ ποῦ 'στιν ὁ τὸ κανοῦν ἔχων;*
Hostia	856 *προβάτιόν τι θύειν.* 862 *ἱερεῦ, σὸν ἔργον, θῦε τοῖς καινοῖς θεοῖς.* 901 *τὰ γὰρ παρόντα θύματ' οὐδὲν ἄλλο πλὴν* 902 *γένειόν ἐστι καὶ κέρατα.*
Tibicen (*προσόδιον*)	852 *συμπαραινέσας ἔχω προσ-* 853 *όδια μεγάλα* 854 *σεμνὰ προσιέναι θεοῖσιν . . .* 857 *ἴτω, ἴτω, ἴτω δὲ Πυθιὰς βοά·* 858 *συνᾳδέτω δὲ Χαῖρις ᾠδάν.* 859 *παῦσαι σὺ φυσῶν. Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἦν;* 861 *οὔπω κόρακ' εἶδον ἐμπεφορβιωμένον.*
Apparatus Sacrificalis (*πομπεῖα*)	850 *τὸ κανοῦν . . . καὶ τὴν χέρνιβα.* 896 *δεῖ με δεύτερον μέλος χέρ-* 897 *νιβι θεοσεβὲς ὅσιον ἐπιβοᾶν . . .*
Pompeutae	848–903 *Πεισθέταιρος* (et alii?).

Has igitur quasi partes pompae sacrificalis distinguimus: 1. Canephorus. 2. Hostia (vel sacrum quoddam). 3. Apparatus sacrificalis = *πομπεῖα*. 4. Tibicen, et *προσόδια* quae ad tibiam cantantur. 5. Agmen pompeutarum.

Itaque primum in hoc opusculo agitur

1. De Canephoris.
2. De Vasis quae *πομπεῖα* dicuntur.
3. De Prosodiis.

Deinde sequuntur quaestiones

4. De Ordine Pompeutarum.
5. De Vestitu Pompeutarum.
6. De Curatoribus Pomparum.
7. De Viis Praeparandis.
8. De Sumptibus Pomparum.

Hostias et sacra quae in pompis ad deos agebantur, cum alia alio in cultu usitata fuerint, hoc tempore praetermittimus. Eandem ob causam vasa pompalia dis singulis propria (ut Bacchica) non tractavimus.

I. DE CANEPHORIS

Quaestio prima de canephoris proponitur. Graeci enim lectas virgines quae in pompis sacris sublatis manibus portabant canistra (*τὰ κανᾶ*) capitibus imposita *κανηφόρους* vocabant. Simili quoque modo hoc officium *κανηφορία* (cf. Plat. *Hipparch.* 229 C) appellatur, et *κανηφορεῖν* nihil aliud significat nisi id administrare. Quamquam autem omnes fere grammaticorum definitiones ad pompam Panathenaicam vel ad cultum Minervae spectant,[1] tamen ex testimoniis undique conlectis satis constat et Athenis et in aliis urbibus Graeciae canephoros multis pompis interfuisse non solum ad Minervam sed etiam ad alias deas vel deos ductis.[2] Quam ob rem nos operae pretium esse iudicavimus quaerere de canephoris et omnibus rebus ad has virgines pertinentibus.

---

[1] Harpocration (= Suidas): *φέρειν τὰ κανᾶ τῇ θεῷ.* Hesychius: *κανηφόροι. ἐν ταῖς πομπαῖς αἱ παρθένοι ἐκανηφόρουν ὥσπερ ἐν τοῖς Παναθηναίοις.* Cf. script. anonym. ap. Bekk. *Anec. Graec.* 270, 31: *παρθένοι τὰ κανᾶ φέρουσαι τῇ θεῷ ἐν τῇ τῶν Παναθηναίων πομπῇ καὶ ταῖς ἄλλαις ἑορταῖς.*

[2] Vide catalogum cultuum p. 19.

Primum vero si quis quaerat de origine huius muneris atque honoris, nullum reperiri potest testimonium, quantum nos quidem scimus, nisi id quod apud Harpocrationem servatur:

Περὶ τῶν κανηφόρων Φιλόχορος ἐν β' Ἀτθίδος φησὶν ὡς Ἐριχθονίου βασιλεύοντος πρῶτον κατέστησαν αἱ ἐν ἀξιώματι παρθένοι φέρειν τὰ κανᾶ τῇ θεῷ. Quae de canephoris apud Athenienses si inspexeris, facile concludas Philochorum, scriptorem fidelissimum, propter obscuritatem rei famam vulgo traditam secutum esse, et aetati incertae Erichthoni, regis mythici, originem ascripsisse. Nihil igitur obstat quominus hoc officium priscis temporibus ortum esse putemus.

Deinde pauca de stirpe atque genere canephororum dicere licet; nam grammatici Graeci qui ex fontibus antiquis hauserunt nobis tradunt canephoros ex patriciis natas esse. Cf. Phot. *Lex.* (s. v. κανηφόρος): κανηφόροι . . . αὗται δὲ τῶν ἀστῶν καὶ εὐγενῶν ἦσαν. Huic adsentitur auctor anonymus apud Bekk. *Anec. Graec.* 270, 31: ἐκανηφόρουν δὲ αἱ ἀσταὶ καὶ εὐγενεῖς. Est autem nobis traditum virginem quandam, sororem tyrannicidae Harmodi, quae a Pisistratidis arcessita esset ut canistra in pompa Panathenaica portaret, ab honore illo exclusam esse. Cf. Thuc. 6, 56: ἀδελφὴν γὰρ αὐτοῦ (Harmodi) κόρην ἐπαγγείλαντες ἥκειν κανοῦν οἴσουσαν ἐν πομπῇ τινι, ἀπήλασαν λέγοντες οὐδὲ ἐπαγγεῖλαι τὴν ἀρχὴν διὰ τὸ μὴ ἀξίαν εἶναι. Hac de re si vero quaeras quas ob causas praeter invidiam haec virgo a Pisistratidis reiecta sit, ex testimonio Herodoti elucet Harmodium et sororem neque a patriciis neque prorsus ab Atticorum stirpe ortos esse. Cf. Herod. 5, 55: Ἀριστογείτων καὶ Ἁρμόδιος, γένος ἐόντες τὰ ἀνέκαθεν Γεφυραῖοι . . . et ibidem (5, 57): οἱ δὲ Γεφυραῖοι . . . ἦσαν Φοίνικες. Sed ad famam huius virginis nescio quo pacto potius spectare videtur testimonium Aristotelis, ex quo concludi possit puellam ab officio sacro exclusam esse quia Harmodius, accusante Thettalo, suis facinoribus sororem insontem in infamiam traxisset. Cf. Arist. *De Repub. Athen.* 18, 2: Θετταλὸς δὲ νεώτερος πολὺ καὶ τῷ βίῳ θρασὺς καὶ ὑβριστής . . . οὐ κατεῖχε τὴν ὀργὴν ἀλλ' ἔν τε τοῖς ἄλλοις ἐνεσημαίνετο πικ[ρ]ῶς καὶ τὸ τελευταῖον μέλλουσαν αὐτοῦ (Harmodi) τὴν ἀδελφὴν κανηφορεῖν Παναθηναίοις ἐ[κώ]λυσεν, λοιδορήσας τι τὸν Ἁρμόδιον ὡς μαλακὸν ὄντα. Quam multum vero scriptores antiqui qui narrationes de Harmodio et Pisistratidis exponunt inter se dissentiant nemo fere nescit, ut, spinis huius rei

neglectis, hoc saltem adfirmari possit haud magnum dubium esse quin canephoros non solum ex civibus nasci oportuerit sed etiam bonam famam sibi usque servare.

Tum autem de canephororum aetate testimonia luculenta praebet Aristophanes. Nam apud comicum mulier Attica inducitur (*Lysist.* 638 sqq.) quae in ordine dinumerat munera sacra a se in civitate expleta:

> ἡμεῖς γάρ, ὦ πάντες ἀστοί, λόγων κατάρχομεν
> τῇ πόλει χρησίμων·
> εἰκότως, ἐπεὶ χλιδῶσαν ἀγλαῶς ἔθρεψέ με.
> ἑπτὰ μὲν ἔτη γεγῶσ' εὐθὺς ἠρρηφόρουν·
> εἶτ' ἀλετρὶς ἦ δεκέτις οὖσα τἀρχηγέτι·
> κᾆτ' ἔχουσα τὸν κροκωτὸν ἄρκτος ἦ Βραυρωνίοις·
> κἀκανηφόρουν ποτ' οὖσα παῖς καλή, 'χουσ'
> ἰσχάδων ὁρμαθόν·

Unde recte concludas virgines post decimum annum canephoros fieri potuisse. Sed accedit quod veteres mentionem canephororum faciunt quae ad pubertatem pervenerant, et iam ad se procos adlexerant. Cf. schol. ad Theoc. *Id.* 2, 66: εἰώθασι γὰρ τῇ Ἀρτέμιδι κανηφορεῖν αἱ μέλλουσαι γαμεῖσθαι, ἐπὶ ἀφοσιώσει τῆς παρθενίας, ἵνα μὴ νεμεσθῶσιν ὑπ' αὐτῆς. τὰ δὲ μυστήρια ταῦτα Ἀθήνησι πολιτεύονται. ἐκανηφόρουν δὲ τῇ Ἀρτέμιδι αἱ ὥραν ἔχουσαι γάμου, ὥσπερ ἀπολογούμεναι περὶ τῆς παρθενίας τῇ θεῷ ἵνα μὴ ὀργισθῇ αὐταῖς μελλούσαις τὸ λοιπὸν φθείρεσθαι. Eodem etiam spectat locus Plutarchi (*Amat. Narrat.* 771 E) quo narratur Aristocleam, virginem Boeotiam, quae esset Iovi Regi canistrum gessura, duos procos habuisse. Virgines igitur inde a decimo anno usque ad tempus nubendi idoneae erant quae hoc munus administrandum susciperent.

Quaeritur autem num canephori sexus virilis fuerint. Nam Saglio, testimonio Plutarchi in *Amat. Narrat.* 771 E adnixus, adfirmat in cultu Iovis Regis apud Boeotios pueros officio canephorico fungi solitos esse.[1] Quae sententia vitiosa est quia hic vir doctus locum Plutarchi, ut videtur, male intellexit; locus enim est: ἐν Ἁλιάρτῳ τῆς Βοιωτίας κόρη τις γίνεται κάλλει διαπρέπουσα ὄνομα Ἀριστόκλεια . . . ταύτην

---

[1] Daremberg et Saglio, *Dict.* s. v. *canephorae.*

μνῶνται Στράτων Ὀρχομένιος καὶ Καλλισθένης Ἁλιάρτιος. πλουσιώτερος δ' ἦν Στράτων καὶ μᾶλλόν τι τῆς παρθένου ἡττημένος. ἐτύγχανε γὰρ ἰδὼν αὐτὴν ἐν Λεβαδείᾳ λουμένην ἐπὶ τῇ κρήνῃ τῇ Ἑρκύνῃ· ἔμελλε γὰρ τῷ Διὶ τῷ Βασιλεῖ κανηφορεῖν. Saglio vero cum verbis ἔμελλε γὰρ κτλ. subaudire Στράτων videtur. Sed cum his verbis potius Ἀριστόκλεια subaudiri debet, quod e contextu intelligi potest hanc virginem ut se ad hoc munus rite gerendum praepararet in sacro fonte Hyrcanae lautam esse. Praeterea Saglio (*Dict.* s. v.) figuram pueri ex argilla factam commemorat quam esse canephorum esse virilem adfirmat.[1] Sed hanc figuram canephorum repraesentare haudquaquam pro certo statui potest, nam calathus potius quam canistrum capiti imponi videtur. Accedit quod puer nudus repraesentatur. At enim manifestum est si qui ad canistra portanda selecti sine vestimentis in pompis publicis prodissent, id sane contra morem consuetudinemque sacram facturos fuisse. Cf. quae de habitu pompeutarum infra p. 37 diximus. Gravissimum vero de canephoris sexus virilis testimonium apud Aristophanem repperimus (*Av.* 864). Nam senex quidam cum pompam comicam ducit ut sacra propter urbem nuper conditam faciat sic quaerit:

ἀλλὰ ποῦ 'στιν ὁ τὸ κανοῦν ἔχων;

Quocum congruit locus Homericus (*Od.* γ 439 sqq.):

βοῦν δ' ἀγέτην κεράων Στρατίος καὶ δῖος Ἐχέφρων.
χέρνιβα δέ σφ' Ἄρητος ἐν ἀνθεμόεντι λέβητι
ἤλυθεν ἐκ θαλάμοιο φέρων, ἑτέρῃ δ' ἔχεν οὐλὰς
ἐν κανέῳ·

His locis igitur examinatis verisimile esse videtur in publicis deorum festis virgines tantum canistra portavisse (vide catalogum cultuum p. 19); ceterum in pompis privatis et sacrificiis aut virgines (cf. Ar. *Acharn.* 242) aut pueros munus canephoricum administrare potuisse.

Quo modo autem virgines ad hoc officium selectae sint non certe cognosci potest. Pisistratidae vero, ut ex loco Thucydidis supra laudato (p. 10) apparet, cum tyrannidem Athenis occupassent, ipsi canephoros selegerunt. Sed ex glossemate Suidae satis constat archontem regem

---

[1] Vide Wincklemann, *Mon. Ined.*, pl. ccv.

Athenis arrhephoros capere solitum esse: ἐπιώψατο· ὁ βασιλεὺς ἐπιώψατο (= κατέλεξεν) ἀρρηφόρους. Simili quoque modo ab archonte eponymo, qui Dionysia curabat canephoros selectas esse docet decretum in insula Scyro repertum:[1]

Νικασίων Δημητρίου 'Ατηνεὺς εἶπεν, ἐπειδὴ τῆς καταλεγείσης κανηφόρου ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος 'Αθηνίωνος τοῦ Διονυσίου [Τ]ιμοξένας ὁ πατὴρ 'Αρκεσίδημος τήν τε πομπὴν ἐπευσχημόνησε ὡς ἐδύνατο βέλτιστα καὶ θῦμα παρέστησεν τῷ θεῷ,[2] καὶ τὰ λοιπὰ ἐνεστράφη φιλοτίμως καὶ εὐσεβῶς καὶ ἀκολούθως τῇ 'Αθηναίων προαιρέσει . . . ἐπαινέσαι, κτλ.

Eandem fere formam habet titulus mutilus *CIA*. 2, 420:

. . . τὸν πατέρα (sc. ἐπαινέσαι) τῆς καταλε[γ]είσης κανηφόρου . . . οἴσουσαν τὸ ἱερὸν κανοῦν τῷ θεῷ (Dionyso) κατὰ τὰ πάτρια.[3]

Sed titulus honorarius, *CIA*. 4, 421, cd,[4] docet virum quem populus ad pompam Panathenaicam administrandam constituerat filiam suam canephorum fecisse:

[καὶ πάντ]α τὰ πρὸς τὴν πομπὴν . . . καὶ [τὸν ἀγῶνα ἔθηκε]ν ἀξίως τῆς τε [ἀρχῆς κα]ὶ τοῦ χειροτονήσαντος [αὐτὸν δήμου ἔ]λεξεν δὲ καὶ [κανηφόρον] τὴν ἑαυτοῦ θυγατέ[ρα. . . .

His igitur inscriptionibus inspectis nihil fere obstat quominus concludi possit archontem sive eponymum sive regem aut canephoros seligere solitum esse aut iura sua curatoribus pomparum qui ἐπιμεληταί appellabantur impertivisse.

Iam illud examinemus quod ad numerum canephororum attinet. Inter omnes fere pompas privato sumptu ductas singulae canephori versatae esse videntur.[5] In pompis publicis quoque, ut docent tituli honorarii quos infra (pp. 18–19) conlegimus, singulae canephori hoc munere plerumque fungebantur. Idem vero testimonium praebent

---

[1] De quo bene disseruit Lebèque, *Revue Archéologique*, 1873, p. 173 sqq. Titulus est ineunti saeculo a.C. secundo attribuendus.

[2] Dionyso, ut Lebèque monuit (l. l.).

[3] Hoc decretum anno 188/7 a.C. exaratum est.

[4] Haud multo post annum 308 a.C.

[5] De quo conferas locos Aristophanis a nobis alibi adiectos: *Eccl.* 732 (p. 16), *Av.* 864 (p. 8), et *Acharn.* 242 (p. 34).

monumenta.[1] Sed in pompa Panathenaeorum sive maiorum sive minorum plures prodire solebant.[2] Titulus etiam in theatro Dionysi Athenis repertus (*CIA.* 3, 338) qui sellas magistratibus et aliis hoc honore dignis proprias adsignat haec verba ostendit:

κανηφόροις γʹ ἀπὸ Παλλαδί[ου].

Pausanias autem de Lycurgo oratore hoc refert (1, 29, 16): Λυκοῦργος . . . κατεσκεύασε δὲ πομπεῖα τῇ θεῷ καὶ Νίκας χρυσᾶς καὶ παρθένοις κόσμον ἑκατόν. Ex quo tamen haudquaquam satis apparet centum canephoros suum quamque in pompa canistrum portavisse. Iudicamus vero omnes plerasque vestimenta et ornamenta canephorica gerentes honoris causa tantum selectas esse et sine canistris in agminibus pompeutarum incessisse.

De vestitu harum virginum testimonium gravissimum praebet Aristophanes (*Lysist.* 1188 sqq.):

στρωμάτων δὲ ποικίλων καὶ
χλανιδίων καὶ ξυστίδων καὶ
χρυσίων, ὅσ᾽ ἐστί μοι,
οὐ φθόνος ἔνεστί μοι
πᾶσι παρέχειν φέρειν τοῖς
παισίν, ὁπόταν τε θυγά-
τηρ τινὶ κανηφορῇ.

(*a*) Στρώματα. Sunt stragulae vestes. In universum appellatio στρῶμα vestimentum significat quod umeris supra tunicam inicitur. Haec Graeci περιβλήματα vel ἐπιβλήματα vocitabant. Cf. etiam Pollucem, 10, 42: τὰ δὲ στρώματα· ἐπιβλήματα, περιβόλαια, ἐφεστρίδες, χλαῖναι ταπίδες, ξυστίδες. Erant autem rubro colore et acu picta (ποικίλα). Cf. interpretem antiquum Aristophanis ad *Plutum* 1199: αὐτῇ ποικίλα· λείπει τὸ ἱμάτια, ἵν᾽ ᾖ ποικίλα ἱμάτια ἔχουσα σεμνῶς ἦλθες. πορφυροῖς γὰρ καὶ ποικίλοις ἱματίοις ἐπόμπευον.

---

[1] Cf. vasis picturam, p. 8. Cicero (*Verr.* 4, 5) duo signa aënea describit quae canephori vocabantur, opus Polycliti, sed utrum haec inter se coniuncta sint an seiuncta steterint non iudicari potest.

[2] *CIA.* 2, 163 (Panath. min.).

(*b*) Χλανίδια. Haec quoque in genus *τῶν περιβλημάτων* referenda esse locus Pollucis (10, 48) demonstrat: *χλανὶς δὲ ἱμάτιον λεπτόν· καὶ χλανίδια δ' αὐτὰ καὶ χλανιδίσκια ἐκάλουν.* Cf. Hesych.: *χλανίδες· λεπτὰ ἱμάτια.*

(*c*) Ξυστίδες. Xystides ad genus stragularum vestium pertinere ex testimonio Pollucis supra adiecto satis plane apparet. Sed ne veteres quidem de xystide scribentes inter se consentiunt, ex quo, ut Beckerius monuit (Becker-Göll, *Charikles*, III, 258), suspicari licet vocabulum *ξυστίς* non ad certam vestimenti formam ac figuram spectare sed potius ad eius materiem et ornamenta. Itaque hanc vestem alicubi *ποδῆρες ἔνδυμα* vel *χιτῶνα ποδήρη γυναικεῖον*, alicubi *τραγικὸν ἔνδυμα* appellatam reperimus. Est nonnumquam *ἱμάτιον πορφυροῦν* et *κροκωτόν* vel *ἱππικὸν ἔνδυμα* vel *λεπτὸν ὕφασμά* vocatum (Becker-Göll, *Charikles*, III, 258). Sed *ξυστίς* est imprimis vestis festa quam Graeci in pompis sumebant. Cf. Ar. *Nub.* 69 sq.:

> *ὅταν σὺ μέγας ὢν ἅρμ' ἐλαύνῃς πρὸς πόλιν,*
> *ὥσπερ Μεγακλέης, ξυστίδ' ἔχων.*

et schol. ad loc.: *καὶ γὰρ μέχρι νῦν οἱ εἰσελαύνοντες ἀθληταὶ τοιούτῳ κοσμηθέντες σχήματι καὶ ἅρματος ἐπιβάντες διὰ μέσης πομπεύουσι τῆς πόλεως . . . ξυστὶς λέγεται τὸ κροκωτὸν ἱμάτιον ὃ οἱ ἡνίοχοι μέχρι τοῦ νῦν φοροῦσι πομπεύοντες. Ξυστίς· εἶδος ἱματίου πορφυροῦ.*

(*d*) Χρυσία. Qualia fuerint haec ornamenta propter inopiam testimoniorum constitui nequit. Alio Aristophanis loco (*Acharn.* 257 sq.) *χρυσία κανηφορικά* commemorantur. Senex enim Dicaearchus in pompa phallica filiam cavere iubet ne quispiam ornamenta aurea sua surripiat:

> *πρόβαινε, κἀν τὤχλῳ φυλάττεσθαι σφόδρα*
> *μή τις λαθών σου περιτράγῃ τὰ χρυσία.*

Mundum autem canephoris faciendum curavit Lycurgus; cf. Paus. 1, 29, 16: *Λυκοῦργος . . . κατεσκεύασε δὲ πομπεῖα τῇ θεῷ . . . καὶ παρθένοις κόσμον ἑκατόν.* Quocum conferas titulum mutilum (*CIA.* 2, 162, c, 10) qui verba *κόσμος κανηφορικός* exhibet.

(*e*) Canephori nonnumquam catenas caricarum ex collis suspensas gerebant. Nam in *Lysistrata* Aristophanis (vv. 646–7) mulier quae muneribus sacris functa est haec dicit:

> *κἀκανηφόρουν ποτ' οὖσα παῖς καλή, 'χουσ'*
> *ἰσχάδων ὁρμαθόν.*

Caricae enim φάρμακον fuerunt quod Attici lustrationis causa in pompis portabant. Cf. Phot. *Bibl.* p. 534 (Bekkeri): ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις φαρμακοὺς ἄγειν δύο, τὸν μὲν ὑπὲρ ἀνδρῶν, τὸν δὲ ὑπὲρ γυναικῶν, πρὸς τὸν καθαρμὸν ἀγομένους. καὶ ὁ μὲν τῶν ἀνδρῶν μελαίνας ἰσχάδας περὶ τὸν τράχηλον εἶχε, λευκὰς δ' ἅτερος.

(*f*) Canephoros autem ora sua vel capillos saltem farina conspersisse ex duobus locis apud comicos repertis satis late patere apparet. Primum vero interpres antiquus ad versum 1551 Ar. *Avium* fragmentum ex *Diis* Hermippi servat:[1]

[A] ὥσπερ αἱ κανηφόροι
λευκοῖσιν ἀλφίτοισιν ἐντετριμμένος.
[B] ἐγὼ δ' ἐνέκαψα λανθάνων τὴν διφροφόρον.

Vbi ἐντετριμμένος pro ἐντετριμμένοις legendum esse iure censet Meineke: *Describi enim videtur,* inquit, *aliquis qui canephororum habitum imitaretur.* Quam sententiam secutus est Kock: *Conloqui videntur duo qui in Panathenaeorum pompa communi omnium gaudio et securitate abusi nescio quid surripuerant.* Locus alter est apud Aristophanem (*Eccl.* 730 sqq.): senex quidam inducitur qui est supellectilem suam et utensilia domestica ordinaturus ut ea in schema pompae ad forum ducat. Itaque iubet cribrum farinarium (κιναχύραν) foras exire ut officio canephorico fungatur:

χώρει σὺ δεῦρο κιναχύρα καλὴ καλῶς
τῶν χρημάτων θύραζε πρώτη τῶν ἐμῶν,
ὅπως ἂν ἐντετριμμένη κανηφορῇς,
πολλοὺς κάτω δὴ θυλάκους στρέψασ' ἐμούς.

Apte igitur poeta, quia mos erat ut canephori farina pro cerussa uterentur, cribrum farinarium canephorum fecit. Hunc in morem quadrat id quod decretum de Andaniorum mysteriis (Dittenberg. *Syll.* 388) commemorat: ἐν δὲ τᾷ πομπᾷ . . . μὴ ἐχέτω μηδεμία . . . μηδὲ φῦκος μηδὲ ψιμύθιον. Opinio nos igitur tenet eandem legem Atticis fuisse, ut canephori, cum cerussa ac minio uti vetitum sit, ora sua farina tingerent.

[1] Kock, *Com. Att.* I, 231, 26; Meineke, *Com. Graec.* 389, 2.

Iam his confectis quaestionem instituimus quo modo canephori se in pompis gesserint. De hoc quidem constat incessum canephororum lentum atque augustum fuisse. Horatius enim qui dum Athenis discit pompas Atticas aspexerat superbum servi incessum sic describit (*Sat.* 2, 8, 13–15):

ut Attica virgo
Cum sacris Cereris procedit fuscus Hydaspes
Caecuba vina ferens.

Cf. *Sat.* 1, 3, 9 sqq.:

saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret.

Quem ad locum Porphyrio: κανηφόροι *apud Athenas hodieque dicuntur quae sacra in capite portant et sensim incedunt et lento gradu.* Huc etiam pertinent nonnulli tituli honorarii quos infra (pp. 18–19) disposuimus; ex quibus cf. *CIG.* 3602:

καλῶς καὶ ἐ[ν]δό[ξ]ως κανηφορήσασαν [εὐσ]εβίας ἕνεκεν τῆς πρὸς τὴν θεάν.

In pompa autem phallica (Ar. *Acharn.* 253–4) Dicaearchus filiam iubet officium digne gerere:

ἄγ', ὦ θύγατερ, ὅπως τὸ κανοῦν καλὴ καλῶς
οἴσεις, βλέπουσα θυμβροφάγον.

Cf. quoque *Plut.* v. 1197 sqq.:

τὰς χύτρας, αἷς τὸν θεὸν
ἱδρυσόμεθα, λαβοῦσ' ἐπὶ τῆς κεφαλῆς φέρε
σεμνῶς.

Hae virgines etiam propter praestantem formam atque pulchritudinem seligebantur. Cf. Plutarchum (*Amat. Narrat.* 771 E): Ἀριστόκλεια . . . διαπρέπουσα κάλλει; Ar. *Lysist.* 644: παῖς καλή . . . (ἐκανηφόρουν); apud Ovidium (*Met.* 2, 724 sq.) Herse *decus pompae* est *virginibus omnibus praestantior.* Itaque tam eximia venustate, tam sumptuoso habitu, tam denique digno incessu fuerunt virgines ad hoc munus captae ut has clarissimi sculptores repraesentare solerent. Cf. Cic. *in Verr.* 4, 5: . . . *erant aënea duo praeterea signa, non*

maxima, verum eximia venustate, quae manibus sublatis sacra quaedam more Atheniensium virginum reposita in capitibus sustinebant; canephori ipsae vocabantur; sed earum artificem quem? Quemnam? recte admones: Polyclitum esse dicebant. Scopam canephori statuam fecisse testatur Plinius (*H. N.* 36, 5): *is fecit Venerem et Pothon . . . Vestam sedentem laudatam in Servilianis hortis duosque campteras circa eam quorum pares in Asini monimentis sunt, ubi et canephorus eiusdem . . .*

Postremo ad decreta publica venimus quae canephoris gratias referunt. Nam rebus divinis rite perpetratis, senatus populusque has virgines laudibus ornare solebant.[1] Exstant igitur nonnulli tituli honorarii:

CIA. 3, 921, Eleusini prope magna propylaea repertus:

Ἡ βουλὴ ὁ δῆμος κανηφορήσασαν Ἀσκληπίῳ ἐπὶ ἱ[ερείας] Ἀμεινοκλείας τῆς Φιλ[. . . θυγατρός].

CIG. 4362, Termessi Pisidiae:

Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐκ τῶν δημοσίων Ἀρτέμειν Θόαντος Ἑρμαίου δὶς Κοττέους τοῦ καὶ Κρατέρου, κανηφόρον θεᾶς Ἀρτέμιδος, προ(βούλου) Ἡλιοδότου Ἀρτείμου πεντάκις.

Tituli duo (*CIG.* 3602 et 3603, secundo vel tertio a. C. saeculo exarati) prope fontes Scamandri qui sunt ad vicum Bunarbashi reperti de honoribus canephororum apud Ilienses testantur. Cf. 3602:

[Ἰλιεῖς καὶ αἱ] πόλεις α[ἱ κ]ο[ιν]ω[νοῦ]σαι [τῆς θυ]σίας καὶ τοῦ ἀγῶνος καὶ τῆς πανηγύρεως Ἀγώνασιν. Δημητρίου Ἰλιάδα, καλῶς καὶ ἐ[ν]δό[ξ]ως κανηφορήσασαν, [εὐσ]εβείας ἕνεκεν τῆς πρὸς τὴν θεάν.

CIA. 2, 1388:

Ἡ [β]ουλὴ ὁ δῆμος [κ]ανηφορήσασαν [τ]ῷ Ἀπόλλωνι [τ]ὴν Πυθαΐδα. Ἡ [β]ο[υλὴ] ὁ δῆ[μ]ος [κα]νηφορήσασαν [Π]αν[αθ]ήναια. . . .

---

[1] Quo modo hoc officium sit a mulieribus Atticis honori ductum ex vv. 638–647 *Lysistratae* supra p. 11 adhibitis conligi potest. Cf. etiam ἀτιμίαν τῆς κανηφορίας, Plat. *Hipparch.* 229 C. Adde quod titulus *CIA.* 2, 163 (Ditt. *Syll.* 380) docet canephoris portiones victimarum a sacrificulis dispertitas esse.

His decretis nonnullos titulos subicere licet qui ad donaria privata pertinent:

CIA. 2, 1387, qui, teste Koehlero, ad theatrum Dionysi repertus est:

['Α]πολλωνίαν

[. . . Φι]λαΐδου θυγατέρα κανηφορήσ[ασαν] [Διὶ σωτήρια? ὁ] πατὴρ καὶ ἡ μήτηρ Ἀπολλω[νία] [Διὶ Σωτῆρι καὶ Ἀθη]νᾷ Σωτείρ[ᾳ ἀνέθηκαν].

Titulus *CIG.* 2, 2298, Deli Atticae post annum 172 a. C.: pater Archelaus simulacrum Isidi dedicavit quod filia Dorothea canephorus Isidis fuit:

Ἀρχέλαος Διονυσίου Μαραθώνιος τὸ ἄγαλμα ἀνέθηκεν ὑπέρ τε ἑαυτοῦ καὶ τῆς γυναικὸς καὶ τῶν τέκνων, κανηφορούσης Δωροθέας τῆς ἑαυτοῦ θυγατρὸς Ἴσιδι. . . .

Infra catalogus cultuum deorum adhibetur in quibus virgines officio canephorico fungebantur. Suus cuique locus gravissimus ex scriptoribus aut titulis Graecis haustus subicitur:

Aesculapius	*CIA.* 2, 1204 (3, 921, 916).
Apollo	*CIA.* 2, 1388.
Artemis	Theoc. *Id.* 2, 66–68 + schol.
Ceres	*CIA.* 3, 916.
Dionysus	Ar. *Acharn.* 242 + schol.
Hygea	*CIA.* 2, 1204.
Isis	*CIA.* 2, 1355 (3, 923).
Iuppiter Rex	Plutarch. *Amat. Narrat.* 771 E.
" Soter	*CIA.* 2, 1387.
Minerva	*CIA.* 2, 1388 (vide gramm. s. v. κανηφόρος).
" Sotera	*CIA.* 2, 1387.
Serapis	*CIA.* 3, 923.

II. DE VASIS QVAE Πομπεῖα DICVNTVR

Vasa et apparatus sacrificalis quae in pompis portabantur πομπεῖα vocata esse demonstrant nonnullae grammaticorum definitiones. Cf. Harpocrationem (I, p. 253, 8, Dindorf.): πομπεῖα δὲ λέγεται τὰ εἰς τὰς πομπὰς κατασκευαζόμενα σκεύη, ὡς ὁ αὐτὸς ῥήτωρ (Demosthenes) κατ' Ἀνδροτίωνος ὑποσημαίνει. Et Eustathius (ad *Il.* 5, 505, p. 576, 46) haec scribit: τὰ παρ' Ἀττικοῖς πομπεῖα, σκεύη ἐκεῖνα χρήσιμα ἐν δημοσίαις πομπαῖς. Moeris autem (p. 332): πομπεῖα Ἀττικοὶ τὰ θυμιατήρια καὶ τὰς χέρνιβας, ὡς Θουκιδίδης. . . . Thucydides tamen verbo πομπεῖα nusquam utitur (quamquam verbum θυμιατήρια in libro 6, 46, χέρνιψ 4, 97 reperitur) sed haec utensilia, cum publicam Atheniensium pecuniam et gazas deorum sub bellum Peloponnesiacum in arce servatas numerat, ἱερὰ σκεύη περὶ τὰς πομπὰς appellat (2, 13).

Haec autem vasa Alcibiades a curatore postulavit et, venia impetrata, cottidiano usu polluebat. Cf. Plutarch. *Vit. Alcib.* 13, 2 (Bekkeri): φέρεται δὲ καὶ λόγος τις κατ' Ἀλκιβιάδου καὶ Φαίακος γεγραμμένος, ἐν ᾧ μετὰ τῶν ἄλλων γέγραπται καὶ ὅτι τῆς πόλεως πολλὰ πομπεῖα χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ κεκτημένης Ἀλκιβιάδης ἐχρῆτο πᾶσιν αὐτοῖς ὥσπερ ἰδίοις πρὸς τὴν καθ' ἡμέραν δίαιταν. De quo plura etiam testatur Pseudo-Andocides (κατ' Ἀλκιβιάδου, 29):

Ἵνα δὲ μὴ μόνον Διομήδην ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν ὅλην ὑβρίζων ἐπιδείξειε, τὰ πομπεῖα παρὰ τῶν ἀρχιθεωρῶν αἰτησάμενος ὡς εἰς τἀπινίκια τῇ προτεραίᾳ τῆς θυσίας χρησόμενος, ἐξηπάτησε καὶ ἀποδοῦναι οὐκ ἤθελε, βουλόμενος τῇ ὑστεραίᾳ πρότερος τῆς πόλεως χρήσασθαι τοῖς χρυσοῖς χερνιβίοις καὶ θυμιατηρίοις. ὅσοι μὲν οὖν τῶν ξένων μὴ ἐγίγνωσκον ἡμέτερα ὄντα, τὴν πομπὴν τὴν κοινὴν ὁρῶντες ὑστέραν οὖσαν τῆς Ἀλκιβιάδου τοῖς τούτου πομπείοις χρῆσθαι ἐνόμιζον ἡμᾶς· ὅσοι δὲ ἢ παρὰ τῶν πολιτῶν ἤκουον ἢ καὶ ἐπεγίγνωσκον τὰ τούτου, κατεγέλων ἡμῶν, ὁρῶντες ἕνα ἄνδρα μεῖζον ἁπάσης τῆς πόλεως δυνάμενον.

Tituli quidam Attici vero nos docent curatores qui vasa pompalia sive facienda sive reficienda curarent nonnumquam creatos esse. Cf. *CIA.* 1, 320:[1]

τα[ῦ]τα ἐ[ξ]εῖλον [ταμίαι τῆς] θεοῦ Εὐφίλητο[ς Κη]φισ[ιεὺς καὶ ξ]υνάρχοντες [οἷ]ς Ἐπιγ[ένης Λυσά]νδρου Αἰγιλ[ι]εὺς ἐγραμ[μάτευε

---

[1] Quaestores sunt anni 420 a.C.

κα]ὶ παρ[έδο]σαν π[ομ]πείων ἐ[πιστάτα]ις Εὐκ[λ]είδῃ Ἀγκυλῆθε[ν, Ἀριστ]οκλεῖ ἐκ Κεραμέων καὶ ξ[υνάρχ]ουσι.

Philochorus autem memoriae tradit πομπεῖα ex bonis triginta tyrannórum Athenis facta esse. Cf. Harpocrationem (s. v. πομπεῖα): πομπείοις δέ, φησὶ Φιλόχορος, πρότερον ἐχρῶντο οἱ Ἀθηναῖοι τοῖς ἐκ τῆς οὐσίας τῶν λ' κατασκευασθεῖσιν. ὀψὲ δέ, φησί, καὶ Ἀνδροτίων ἄλλα κατεσκεύασεν. Hic Androtio, teste Demosthene in oratione anno 355/4 habita, curator pompeis reficiendis fuit.[1] Cf. *Orat.* 22, 78:

ἀλλ' Ἀνδροτίων ὑμῖν πομπείων ἐπισκευαστής, Ἀνδροτίων, ὦ γῆ καὶ θεοί. καὶ τοῦτ' ἀσέβημ' ἔλαττον τίνος ἡγεῖσθε; ἐγὼ μὲν γὰρ οἴομαι δεῖν τὸν εἰς ἱέρ' εἰσιόντα καὶ χερνίβων καὶ κανῶν ἁψόμενον καὶ τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς ἐπιμελείας προστάτην ἐσόμενον οὐχὶ προειρημένων ἡμερῶν ἀριθμὸν ἁγνεύειν, ἀλλὰ τὸν βίον ἡγνευκέναι τοιούτων ἐπιτηδευμάτων οἷα τούτῳ βεβίωται.

Cf. etiam *Orat.* 24, 8:

ἰδὼν δ' ἠδικηκότα κοινῇ πᾶσαν τὴν πόλιν καὶ περὶ τὴν εἴσπραξιν τῶν εἰσφορῶν καὶ περὶ τὴν ποίησιν τῶν πομπείων. . . .

Cuius ad administrationem tituli mutili fragmentum (*CIA.* Suppl. 4, 74*b*) spectat:

. . . [ἐψηφίσθαι τῇ βουλῇ τ]οὺς ταμίας τοὺς νέ[ους . . . χρήμα]τα τὰ ἐν τῇ ἀκρο[πόλει . . . ταμιῶν]· ὅπως δ' ἂν ὡς δικα[ιότατα . . . τό τε ἄγα]λμα καὶ τὰ πομπε[ῖα . . . τὰ ἄλλα τὰ ἐ]ν τῇ ἀκροπόλε[ι . . . ἀπὸ Καλλέ]ου ἄρχοντος ἀνα[γραφέντα . . . παρα]δοῦναι δὲ τοὺ[ς ταμίας . . . ι]ς τὰ μὲμ πομπεῖ[α . . . κατὰ τὸ ψήφισμα ὃ Ἀ]νδροτίων εἶ[πε. . . .[2]

Post vero aetatem Androtionis Lycurgus orator vasa pompalia denuo fecisse videtur. Sic enim Plutarchus refert (*Mor.* 852 B):

ἔτι δὲ αἱρεθεὶς ὑπὸ τοῦ δήμου χρήματα πολλὰ συνήγαγεν εἰς τὴν ἀκρόπολιν καὶ παρασκευάσας τῇ θεῷ κόσμον Νίκας τε ὁλοχρύσους πομπεῖά τε χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ καὶ κόσμον εἰς ἑκατὸν κανηφόρους.

---

[1] Titulus Boeotius (*CIG.* 1570, b, 3) primo a.C. saeculo exaratus docet cum phialae et donaria sacra labem traxissent decretum esse a Boeotiis ut triumviri vasis reficiendis crearentur.

[2] Post annum 377 a.C.

Quod ad formam ac naturam pompeorum attinet, haec fere omnia ut supra apparet utensilia sacra quibus sacerdotes in hostiis immolandis utebantur fuerunt. Quae nunc in ordine numerare licet:

1. Χερνιβεῖον.
2. Θυμιατήριον.
3. Κανοῦν.
4. Στεφάνη vel Στέφανος.
5. Κόσμος κανηφορικός.

1. Χερνιβεῖον: Vasculum quod aquam lustralem (χέρνιβα) continuit χερνιβεῖον dicebatur. Hoc vero inter pompea nominandum esse ex loco Pseudo-Andocidis supra p. 20 adiecto elucet. Cuius etiam mentionem facit Aristophanes (*Av.* 850):

παῖ, παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε καὶ τὴν χέρνιβα.

Quocum conferas corruptum Antiphanis fragmentum:[1]

τὸ χερνιβεῖον πρῶτον ἐκ πομπῆς ἄφες.

(ἡ πομπὴ σαφής coniecit nescio quis). Huc etiam illud de pompis Osiridis apud Plutarchum servatum spectare videtur (*Mor.* 365 B): οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Ὀσίριδις ἀπορροὴν καλοῦσι· καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ.

2. Θυμιατήριον: De turibuli usu inter pompea cf. testimonium Pseudo-Andocidis supra p. 20 laudatum.

3. Κανοῦν[2]: Imprimis autem inter pompea κανοῦν nominandum est. Fuit enim canistrum latum atque patulum, breve, quo veteres ad vasa sacra sustinenda utebantur. Hoc vocabulum apud Homerum quater deciens invenitur ubi duodeciens lancem quae cibum capit, bis tantum (γ 442 et δ 761) canistrum sacrum quod molam salsam continet significat. Apud comicos, tragicos, et alios scriptores ad res divinas

---

[1] Ex *Busiride* (frag. 66), de quo Kock, *Com. Att.* II, p. 38: *per ironiam haec aliquis dicere videtur homines quosdam, praelata urna, incedentes conspicatus.*

[2] Hoc scholiasta ad Ar. *Lysist.* 646 λοπάδα vocat: κἀκανηφόρουν . . . ἐφόρουν δὲ καὶ λοπάδας ὁλοχρύσους. Cf. λίκνον (mystica vannus Iacchi, Verg. *Georg.* 1, 166) quod in pompis Bacchi a licnophoris portabatur et vasa sacrificalia et primitias capiebat; Callimachus *in Cererem* 126:

ὡς δ' αἱ λικνοφόροι χρυσῶ πλέα λίκνα φέροντι.

semper pertinet. Duobus apud Homerum locis vocabulo κανῷ epitheton additur quod ex quo hoc vas factum sit indicet: χάλκειον, Λ 630, χρύσειον, κ 355. Ter etiam καλόν (Ι 217, Ω 626, υ 255), semel περικαλλές (ρ 343) designatur.

Initio haec canistra ex cannis viebantur: Ebelingius (*Hom. Lex.* s. v.) κανοῦν a κάννα deducit,[1] quo etiam spectat testimonium Pollucis (7, 76): καὶ τὸ κανοῦν δὲ πλέγμα τι, καὶ τὸ κανίσκιον, quocum congruit fragmentum ex *Gerytade* Aristophanis:[2]

πλεκτῷ κανίσκῳ ἄρτων περίλοιπα θρύμματα.

Deinde vero, sicut ab Homero accepimus, haec canistra ex auro facta sunt. Cf. Suidam (s. v. κανοῦν)· παρὰ τὴν τῶν Διονυσίων ἑορτὴν Ἀθήνησιν αἱ εὐγενίδες ἐκανηφόρουν. ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ. Lycurgus autem hunc morem secutus pompea ex auro atque argento fecit (vide supra p. 21). Accedit quod nonnulli tituli qui rationes curatorum utensilium sacrorum exhibent de canistris ex metallis factis testantur:

CIG. 1570, b, 3: Λύσανδρος κανοῦν, ὁλκὴ Η𐅄ΔΔΔΕΕΕ.
CIG. 2855, 21: κανοῦν φυλῆς τῆς Ἀσωτίδος? ὁλκὴν ἄγον Ἀλεξανδρείας πεντακοσίας.

Huius sacri involucra quo modo vocentur docet Hesychius (s. v. ἰστριανίδες): αἱ Σκυθικαὶ στολαί. καὶ παρὰ Ἀθηναίοις σκεπάσματα οἷς ἐκάλυπτον τὰ ἱερὰ κανᾶ. Cui addere licet haec ex Polluce (10, 191) hausta: εἰ δὲ βούλει καὶ ἄλλα τῶν ἱερῶν σκευῶν, ἔστι μὲν ὑφάσματα, καλεῖται δὲ ἰστριανόν, προτόνιον, ἡμίμιτρον. Huc etiam spectat titulus Atticus (*CIG.* 155, 32) ex arce qui donaria Dianae enumerat:

Ξενοφάντη, χιτωνίσκον ἐξ[έ]στω[ν] κτενωτόν· οὗτος ἐπὶ τῷ κανῷ, i. e. canistrum sacrum quod in templo est, vestimento illo tegitur.

Haec in canistra imponebantur ea quae ad sacra facienda pertinuerunt. Cf. Harpocrationem (s. v. κανηφόρος): . . . φέρειν τὰ κανᾶ τῇ θεῷ ἐφ' οἷς ἐπέκειτο τὰ πρὸς τὴν θυσίαν τοῖς τε Παναθηναίοις καὶ

---

[1] Voc. κανοῦν grammatici quidam a κτεῖνον, καινόν, καίνειν, vel χαίνειν insipienter derivant.

[2] Kock, *Com. Att.* I, p. 431, Frag. 160.

ταῖς ἄλλαις πομπαῖς. Illa autem molam salsam, cultellos, vittas, et primitias fuisse ab auctoribus antiquis discimus. Cf. Ar. *Pac.* 948:

> τὸ κανοῦν πάρεστ' ὀλὰς ἔχον καὶ στέμμα καὶ μάχαιραν,
> καὶ πῦρ γε τουτί.

Et schol. ad loc.: ὀλάς· ὅτι ἐκέκρυπτο ἐν τῷ κανῷ ἡ μάχαιρα ταῖς ὀλαῖς καὶ τοῖς στέμμασι. Haec quoque Suidas: ἦν δὲ ἐκ χρυσοῦ πεποιημένα τὰ κανᾶ, ἐφ' ὧν τὰς ἀπαρχὰς πάντων ἐτίθεσαν.

4. Στεφάνη vel Στέφανος: Pompeutas coronas vel ex floribus nexas vel auro factas in pompis gerere solitos esse ex testimoniis scriptorum veterum atque picturis vasorum satis inter omnes constat. Cf. id quod Pausanias de pompa Cereris Chthoniae apud Hermionienses ducta narrat (2, 35, 5):

> τοῖς δὲ καὶ παισὶν ἔτι οὖσι καθέστηκεν ἤδη τὴν θεὸν τιμᾶν τῇ πομπῇ· οὗτοι λευκὴν ἐσθῆτα καὶ ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχουσι στεφάνους. πλέκονται δὲ οἱ στέφανοί σφισιν ἐκ τοῦ ἄνθους ὃ καλοῦσιν οἱ ταύτῃ κοσμοσάνδαλον, ὑάκινθον ἐμοὶ δοκεῖν ὄντα καὶ μεγέθει καὶ χρόᾳ· ἔπεστι δέ οἱ καὶ τὰ ἐπὶ τῷ θρήνῳ γράμματα.

Sed apud Thebanos mos fuit ut daphnephorus coronam auream haberet. Cf. Proclum (ap. Phot. *Bibl.* p. 321, Bekkeri): οὗτος δὲ ὁ δαφνηφόρος . . . τὰς μὲν κόμας καθειμένος, χρυσοῦν στέφανον φέρων. Athenaeus autem coronam immanem quae in pompa Alexandrina portata est describit (202 D):

> στέφανοί δὲ χρυσοῖ ἐπόμπευσαν τρισχίλιοι διακόσιοι, ἕτερός τε μυστικὸς χρυσοῖς λίθοις πολυτελέσι κεκοσμημένος ὀγδοηκοντάπηχυς . . . ἐπόμπευσαν δὲ καὶ στεφάναι χρυσαῖ πάνυ πολλαί, ἃς ἔφερον παιδίσκαι πολυτελῶς κεκοσμημέναι· ὧν μία δίπηχυς εἰς ὕψος, τὴν δὲ περίμετρον ἔχουσα ἑκκαίδεκα πήχεων.

5. Κόσμος κανηφορικός: Mundum canephoricum in capitulo qui *De Canephoris* inscribitur (p. 14 sqq.) tractavimus.

Haec sacra omnia in donariis deorum, ut loci supra laudati demonstrant, custodiebantur. Fuit etiam Athenis iuxta Dipylum aedificium quoddam cui, cum apparatus pompalis intus servarentur, nomen Πομπεῖον inditum est (Paus. 1, 2, 4): εἰσελθόντων δὲ ἐς τὴν πόλιν οἰκοδόμημα

ἐς παρασκευὴν τῶν πομπῶν, ἃς πέμπουσι τὰς μὲν ἀνὰ πᾶν ἔτος, τὰς δὲ καὶ χρόνον διαλείποντες. Hoc vero aedificium, cum nonnulli docti id iam satis plene tractaverint,[1] nobis hoc loco praetermittendum est.

III. DE PROSODIIS

Prosodia sunt carmina quae in supplicationibus et pompis deorum ad tibias cantabantur. Cf. *E. M.* 690:

> *προσῴδιον·*[2] *λιτανεία μετὰ ὕμνων· παρὰ τὸ προσιέναι μετὰ τούτου τοῖς θεοῖς . . . καὶ προσῴδια μὲν τὰ λεγόμενα ᾄσματα εἰσφερομένων εἰς τὸν βωμὸν τῶν ἱερείων· παρὰ τὸ προσιόντων εἰς τὸν βωμὸν τῶν θυμάτων ταῦτα λέγειν.*

Suidas autem eadem fere tradit: *προσόδια· ἀπὸ τῶν προσόδων. οὕτω δὲ ἔλεγον τὰς προσαγομένας τοῖς θεοῖς πομπάς. καὶ προσόδια τὰ εἰς πανηγύρεις θεῶν ποιήματα παρὰ τῶν λυρικῶν λεγόμενα.* Ibidem: *προσόδια· ὕμνοι.* Proclus vero monuit (apud Phot. p. 320 a, Bekkeri) haec carmina inter paeanes a nonnullis grammaticis perperam nominata esse:

> *ἐλέγετο δὲ τὸ προσόδιον, ἐπειδὰν προσίασι τοῖς βωμοῖς ἢ ναοῖς καὶ ἐν τῷ προσιέναι ᾔδετο πρὸς αὐλάν. ὁ δὲ κυρίως ὕμνος πρὸς κιθάραν ᾔδετο ἑστώτων . . . καταχρηστικῶς δὲ καὶ προσόδιά τινες παιᾶνες λέγουσιν.*

Cum apud Aristophanem (*Av.* 848 sqq.) sacerdos iussu Pisthetaeri pompam transmittit, prosodium ad tibiam cantat:

τὸν ἱερέα πέμψοντα τὴν πομπὴν καλῶ.
παῖ, παῖ, τὸ κανοῦν αἴρεσθε καὶ τὴν χέρνιβα.
ΙΕΡ. *ὁμορροθῶ, συνθέλω,*
συμπαραινέσας ἔχω προσ-
όδια μεγάλα
σεμνὰ προσιέναι θεοῖσιν·

---

[1] Testimonia antiqua hodiernaque ad Pompeum pertinentia ab Hitzigio Blümneroque in unum conlecta sunt (*Pausaniae Graeciae Descriptio*, I, p. 129).

[2] De scriptura *προσῴδιον* Marckscheffelius (*Hesiodi, Eumeli, et cet. Fragg.* pp. 243–4) monuit antiquam et veram formam *προσόδιον* fuisse, et grammaticos seriores ab *ᾄδειν* verbo vocabulum derivasse quod ab *ὁδός* esset deducendum. Voc. *προσῳδία* carmen quod ad lyram cantatur tantum significat, et pro *προσόδιον* numquam usurpari videtur.

ἅμα δὲ προσέτι χάριτος ἕνεκα
προβάτιόν τι θύειν.
ἴτω, ἴτω, ἴτω δὲ Πυθιὰς βοά·
συνᾳδέτω δὲ Χαῖρις ᾠδάν.
ΠΕΙ. παῦσαι σὺ φυσῶν. Ἡράκλεις, τουτὶ τί ἦν;
τουτὶ μὰ Δί' ἐγὼ πολλὰ δὴ καὶ δείν' ἰδών,
οὔπω κόρακ' εἶδον ἐμπεφορβιωμένον.

Vbi, ut videtur, comoedus quidam corvum imitatus tibicinis officio fungitur.

Ad prosodia etiam carmina illa quae παρθένια vocantur revocanda sunt. Haec satis constat a virginum choris in sollemnibus cantata esse et maxima in parte ad cultum Apollinis pertinuisse.[1] Speciem autem partheniorum, ut ex Proclo (ap. Phot. p. 321, Bekkeri) apparet, carmina daphnephorica constituunt. Sic enim Proclus testatur:

τὰ δὲ λεγόμενα παρθένια χοροῖς παρθένων ἐνεγράφετο. οἷς καὶ τὰ δαφνηφορικὰ ὡς εἰς γένος πίπτει. δάφνας γὰρ ἐν Βοιωτίᾳ δι' ἐνναετηρίδος εἰς τὰ τοῦ Ἀπόλλωνος κομίζοντες οἱ ἱερεῖς ἐξύμνουν αὐτὸν διὰ χοροῦ παρθένων. Modulos partheniorum ἀποστολικούς appellatos esse et cum gestibus orchesticis cantatos esse refert Athenaeus (631 D): βέλτιστοι δέ εἰσι τῶν τρόπων οἵτινες καὶ ὀρχοῦνται. εἰσὶ δὲ οἵδε· προσοδιακοί, ἀποστολικοί (οὗτοι δὲ καὶ παρθένιοι καλοῦνται), καὶ οἱ τούτοις ὅμοιοι. Quocum cohaerit testimonium Xenophontis (*Exped. Cyri*, 6, 1, 11): ᾖσάν τε ἐν ῥυθμῷ πρὸς τὸν ἐνόπλιον ῥυθμὸν αὐλούμενοι καὶ ἐπαιάνισαν καὶ ὠρχήσαντο ὥσπερ ἐν ταῖς πρὸς τοὺς θεοὺς προσόδοις.[2]

Nunc si quis vero de huiusmodi carminum scriptoribus quaerat, ex certis exemplis comperiat nobilissimos Graeciae poetas prosodia et

---

[1] Vide tabulam prosodiorum p. 30.

[2] Sunt etiam alia prosodia quae non tantopere ad res divinas pertinent, ex quibus enumerare licet κώμους, ὑμεναίους, et μέλη ἐμβατήρια. De usu comi cf. Hesiodi *Scutum*, v. 281:

ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ.

et Theognidis vers. 1065:

ἔστι δὲ κωμάζοντα μετ' αὐλητῆρος ἀείδειν.

Quod ad hymenaeum attinet carmen, exemplum apud Aristophanem servatum est (*Pac.* vv. 1333–1357). Carminis embaterii a Tyrtaeo scripti fragmentum ad nos permansit. Cf. Bergkium, *Poet. Lyr. Graec.* II, *frag. Tyrt.* 15.

parthenia componere solitos esse. Quam ob rem, quia nomina horum poetarum a nullo adhuc, quantum nos equidem scimus, in unum conlecta sunt, haec proprio in ordine una cum fragmentis prosodiorum quae supersunt infra adiecimus.

1. Eumelus Corinthius

Eumelus Corinthius, qui saeculo septimo a. C. aetatem degisse videtur,[1] prosodium Messeniis, Phinta Sybotae filio regnante, scripsit quod Delo cantatum est. Cf. Pausaniam, 4, 4, 1: ἐπὶ δὲ Φίντα τοῦ Συβότα πρῶτον Μεσσήνιοι τότε τῷ Ἀπόλλωνι ἐς Δῆλον θυσίαν καὶ ἀνδρῶν χορὸν ἀποστέλλουσι. τὸ δέ σφισιν ᾆσμα προσόδιον ἐς τὸν θεὸν ἐδίδαξεν Εὔμηλος, εἶναί τε ὡς ἀληθῶς Εὐμήλου νομίζεται μόνα τὰ ἔπη ταῦτα. Ex hoc carmine duos versus alio loco servat Pausanias (4, 33, 2): ἐποίησε (Eumelus) γοῦν καὶ τάδε ἐν τῷ προσοδίῳ τῷ ἐς Δῆλον:

τῷ γὰρ Ἰθώματα καταθύμιος ἔπλετο μοῖσα
ἁ καθαρὰ καὶ ἐλεύθερα σάμβαλ' ἔχοισα.

2. Alcman

A Plutarcho Alcmanem prosodia et parthenia composuisse discimus. Cf. *Moral.* 1136 F: οὐκ ἠγνόει (Πλάτων) δ' ὅτι πολλὰ Δώρια παρθένια ἅμα Ἀλκμᾶνι καὶ Πινδάρῳ καὶ Σιμωνίδῃ καὶ Βακχυλίδῃ πεποίηται, ἀλλὰ μὴν καὶ ὅτι προσόδια καὶ παιᾶνες. . . . Horum carminum quae supersunt fragmenta in libris Bergki qui *Poetae Lyrici Graeci* inscribuntur disposita sunt. Vide Vol. III, fragg. *Alcmanis* 1, 7, 16, 23, 29, 66.[2]

3. Simonides Ceus

Simonidem prosodia scripsisse ex loco Plutarchi supra adiecto satis constat, sed nulla huius carminum generis fragmenta ad nos permanserunt.

4. Bacchylides

Hic quoque poeta, ut ex Plutarchi loco et aliunde apparet, prosodia et parthenia composuit. Ex his vero tria omnino fragmenta supersunt

---

[1] Christi *Griechische Litteraturgeschichte*, 2d ed., p. 90.

[2] Haec fragmenta vir Anglicus Farnellius in prosodia scite rettulit. (Cf. *Greek Lyric Poetry*, pp. 308–313.)

quae Bergkius in libris suis edidit (Vol. III, sub *Bacchylidem*, fragg. 19, 20, 21). Apud Kenyonem (in edit. prin. *Bacchylidis*, 1898) numeri sunt 48, 49, 50.

5. *Pindarus*

Cum multi docti de prosodiis a Pindaro scriptis fusius disputaverint (imprimis Boeckhius, *Pind.* Vol. II, pp. 586 sqq.), hoc loco summam rei tantum attigere satis erit.

(*a*) *Prosodia.* Primum vero Suidam testem adhibemus qui dicit: ἔγραψε (sc. Πίνδαρος) δὲ ἐν βιβλίοις ιζ' ταῦτα . . . (alia carminum genera omittimus) . . . προσόδια, παρθένια, . . . δαφνηφορικά. Deinde a Pindari *Vita* in codice Vratisl. A servata discimus haec prosodia a veteribus in duos libros conlecta esse: ἔγραψε δὲ βιβλία ἑπτὰ καὶ δέκα . . . προσοδίων β'. Horum prosodiorum tria fragmenta a scriptoribus antiquis servata sunt:

1. Prosodium Deliacum (Bergki fragg. 87–88, Boeckhi 1).

2. Prosodii fragmentum (Bergki 89, Boeckhi 2) quod interpres Ar. *Eq.* v. 1263 laudat: τοῦτο ἀρχὴ προσοδίου Πινδάρου, ἔχει δὲ οὕτως·

> τί κάλλιον ἀρχομένοισι ἢ καταπαυομένοισιν
> ἢ βαθύζωνόν τε Λατὼ καὶ θοᾶν ἵππων ἐλάτειραν ἀεῖσαι;

Hoc Schneiderus, probante Boeckhio, ad carmen Aeginensibus a Pindaro scriptum quo salutarent Aphaeam rettulit. Cf. Paus. 2, 30, 3: ἐν Αἰγίνῃ δὲ πρὸς τὸ ὄρος τοῦ Πανελληνίου Διὸς ἰοῦσίν ἐστιν Ἀφαίας ἱερόν, ἐς ἣν καὶ Πίνδαρος ᾆσμα Αἰγινήταις ἐποίησε.

3. Carminis fragmentum apud Aristidem (2, 510) servatum quod esse prosodium Delphicum adfirmat Boeckhius (Bergki frag. 90, Boeckhi 3).

(*b*) *Parthenia.* De his carminibus cf. *Vitam Pindari* in codice Vratisl. A: φέρεται δὲ καὶ παρθενίων β' καὶ γ' ὃ ἐπιγράφει κεχωρισμένων παρθενίων. Conclusit igitur Boeckhius tres fuisse partheniorum libros simul daphnephorica complexos quorum tertium τὰ κεχωρισμένα τῶν παρθενίων a ceteris separata continuisse (i. e. ea carmina quae ex partheniis eicienda videbantur). Fragmenta partheniorum a Pindaro scriptorum sunt haec:

Frag. 1 (103)[1]: de hoc mentio tantum apud scholiastam ad Ar. *Acharn.* 726 fit.

Frag. 2–6, 7? (95–99, 100?): in Pana scripta esse videntur.

Frag. 8 (104): in separatis partheniis reperitur, quod vero ad Apollinem et Dianam magna cum probabilitate referri potest.

Frag. 9 (101–2): de his versibus nihil pro certo adfirmari potest, quos Boeckhius ad daphnephorica pertinere existimat, sed Christius eos in hymnis conlocandos esse arbitratur.

6. *Pronomus Thebanus*

Pronomus Thebanus qui quinto a. C. saeculo tibicen et auloedicorum nomorum poeta fuit,[2] prosodium quo Chalcidenses Delo deum salutarent composuit. De quo Pausanias haec tradit (9, 12, 5–6):

Πρόνομος δὲ ἦν ὃς πρῶτος ἐπενόησεν αὐλοὺς ἐς ἅπαν ἁρμονίας εἶδος ἔχοντας ἐπιτηδείως, πρῶτος δὲ διάφορα ἐς τοσοῦτο μέλη ὑπ' αὐλοῖς ηὔλησε τοῖς αὐτοῖς. λέγεται δὲ ὡς καὶ τοῦ προσώπου τῷ σχήματι καὶ τῇ τοῦ παντὸς κινήσει σώματος περισσῶς δή τι ἔτερπε τὰ θέατρα· καὶ οἱ καὶ ᾆσμα πεποιημένον ἐστὶ προσόδιον ἐς Δῆλον τοῖς ἐπ' Εὐρίπῳ Χαλκιδεῦσι.

7. *Alii Prosodiorum Poetae*

Haud dubium est quin multi huius carminum generis poetae quorum quia spiritu divino minus inflati sunt nulla mentio apud scriptores veteres exstat, prosodia alii aliis in urbibus composuerint. Horum in numero nos Eumaronem habemus quem titulus Boeotius (= Thespiensis) docet poetam prosodiorum fuisse (*CIG.* 1585):

Ἀγαθῇ Τύχῃ

ἐνείκων ἐπὶ Φλαουίῳ Παυλείνῳ ἀγωνοθετοῦντι Μουσῶν ἐ[π'] ἄρχοντι Μητροδώρῳ τῷ Ὀν[η]σιφόρου ποιητὴς προσοδίου Εὐμάρων Ἀλεξάνδρου Θεσπιεὺς καὶ Ἀντιφῶν Ἀθηναῖος κῆρυξ. . . .

Res ipsa demonstrat titulum ad Thespiensem Musarum cultum spectare, et ex litterarum formis iudicamus hoc decretum primo p. C. saeculo exaratum esse.

---

[1] Numeri priores sunt Boeckhi, posteriores sunt editionis quartae Bergkianae.

[2] Cf. Paus. 4, 27, 7; Athenaeus (4, 184 D) scribit Alcibiadem a Pronomo αὐλητικὴν didicisse.

Nunc subiungere licet prosodiorum tabulam quae cultus deorum exhibet et urbes ubi haec carmina cantata sunt. Quos in deos Simonides et Bacchylides prosodia scripserint ex eorum fragmentis quae supersunt diiudicari non potest.

Prosodiorum Tabula

Deus vel Dea	Urbs	Poeta	Fragg.[1]
Aphaea	Aegina	Pindarus	89
Apollo	Delos	Eumelus	Paus. 4, 33, 2
"	"	Pindarus	87–88
"	"	Pronomus	. . . .
"	Delphi	Pindarus	90
"	Thebae	"	101–2
Diana	Sparta	Alcman	23
"	Thebae	Pindarus	104
Iuppiter	Sparta	Alcman	29
Iuno	"	"	16
Musae	Thespiae	Eumaron	. . . .
Pan	Thebae	Pindarus	95–99, 100?
?	Ceos?	Simonides	. . . .
?	?	Bacchylides	19–21

Postremo de modulis ac metris prosodiorum pauca habemus quae dicamus. Moduli Dorii sunt. Cf. Plutarchum (*De Musica* = *Moral.* 1136 F):

οὐκ ἠγνόει (Πλάτων) δ' ὅτι πολλὰ Δώρια παρθένια ἅμα Ἀλκμᾶνι καὶ Πινδάρῳ καὶ Σιμωνίδῃ καὶ Βακχυλίδῃ πεποίηται, ἀλλὰ μὴν καὶ ὅτι προσόδια καὶ παιᾶνες, καὶ μέντοι ὅτι καὶ τραγικοὶ οἶκτοί ποτε ἐπὶ τοῦ Δωρίου τρόπου ἐμελῳδήθησαν.

Huc quadrant prosodiorum reliquiae quae in dialecto Dorica plerumque scriptae sunt. Quod ad metra horum carminum attinet, quoniam vir doctissimus Christius in libro suo qui *Metrik der Griechen und Römer* inscribitur de metro prosodiaco uberius disputavit,[2] non necesse est ut multa proferamus. In universum tamen hanc rationem in versibus

[1] Numeri sunt editionis quartae Bergkianae.

[2] Vide pp. 213–217, 673, 638.

componendis poetae prosodiorum consecuti sunt: Eumelus qui hoc carminum genus primus attigisse videtur, hexametro usus est[1]; ceteri metris dactylicis aut iambicis usi sunt, sed iambis dactylos cyclicos inserere et metrum sive dactylicum sive iambicum anacrusi quo pedes citius properarent augere solebant.

Quo modo a prosodiis introitus chororum scaenicorum qui **πάροδοι** vocantur deducti sint, quaestio alia est. Cf. Christium, *Griechische Litteraturgeschichte*, (2d ed.) p. 125.

IV. DE ORDINE POMPEVTARVM

Iam proponitur quaestio quam in agminibus pompeutarum ordinandis rationem Graeci secuti sint. Nam etsi pauca admodum de hac re apud scriptores veteres reperiuntur, ex his tamen satis plane apparet suum cuique locum pompeutis vel consuetudine sacra vel honoris causa vel etiam sorte adsignatum esse. Sed huiusmodi quae conlegimus testimonia tantum inter se dissident ut nos haudquaquam adfirmare possimus pompeutas eodem omnibus in pompis modo dispositos esse. Qua in quaestione nobis licet primum locos ex scriptoribus antiquis et monumenta testes adhibere, deinde eis examinatis leges investigare quas Graeci in ordine pompeutarum statuendo observare solebant.

(*a*) Vas pictum vetustioris artis in Museo Brittanico servatum de quo supra (pp. 7–8) plura diximus hunc ordinem exhibet:

1. Canephorus.
2. Hostia quam quidam agunt.
3. Tibicen.
4. Pompeuta.
5. Pompeuta qui *χερνιβεῖον* fert.
6. Pompeutae duo.
7. Vehiculum.
8. Pompeuta ((*ῥαβδοφόρος*?).

(*b*) Decretum illud de Andaniorum mysteriis[2] quo modo pompeutae in pompa Cereris et Proserpinae se exceperint demonstrat:

---

[1] Vide fragmentum p. 27.

[2] Ditt. *Syll.* 388: *ἐν δὲ τᾶι πομπᾶι ἀγείσθω Μνασίστρατος, ἔπειτεν ὁ ἱερεὺς τῶν θεῶν οἷς τὰ μυστήρια γίνεται μετὰ τᾶς ἱερέας, ἔπειτα ἀγωνοθέτας, ἱεροθύται, οἱ αὐλη-*

1. Magistratus.
2. Sacerdos (ἱερεύς) deorum.
   Sacerdos (ἱέρεα).
3. Agonotheta.
4. Sacrificuli.
5. Tibicines.
6. Virgines sanctae quae currus trahunt.
7. Epularum domina.
8. Eae quae epularum dominam adiuvant.
9. Sacerdos (ἱέρεα) Cereris iuxta hippodromum
10. Sacerdos (ἱέρεα) Cereris in Aegila.
11. Feminae sanctae.
12. Viri sancti.
13. Hostiae.

(*c*) Pompa Cereris Chthoniae: Hermionae. Hermionienses cum pompam Cereris Chthoniae transmitterent hunc ordinem servare solitos esse a Pausania docemur:[1]

1. Sacerdos deorum.
2. Ei qui annuos magistratus gerunt.
3. Feminae et viri.
4. Pueri.
5. Ei qui bovem agunt.

(*d*) Pompa Apollinis Ismenii et Grandinantis: Thebis. Ordo pompeutarum fuit:[2]

ται· μετὰ δὲ ταῦτα αἱ παρθένοι αἱ ἱεραὶ . . . ἄγουσαι τὰ ἅρματα ἐπικειμένα<s> κίστας ἐχούσας ἱερὰ μυστικά. εἶτεν ἁ θοιναρμόστρια ἁ εἰς Δάματρος καὶ αἱ ὑποθοιναρμόστριαι αἱ ἐμβεβακυῖαι, εἶτεν ἁ ἱέρεα τᾶς Δάματρος τᾶς ἐφ' ἱπποδρόμωι, εἶτεν ἁ τᾶς ἐν Αἰγίλᾳ· ἔπειτεν αἱ ἱεραὶ κατὰ μίαν . . . ἔπειτεν οἱ ἱεροὶ . . . ἀγέσθω δὲ ἐν τᾶι πομπᾶι καὶ τὰ θύματα . . . σῦν ἐπίτοκα, κριόν, δάμαλιν σῦν, κάπρον, οἶν. . . .

[1] Paus. 2, 35, 5 sq.: *ἄγουσι δὲ οὕτως· ἡγοῦνται μὲν αὐτοῖς τῆς πομπῆς οἵ τε ἱερεῖς τῶν θεῶν καὶ ὅσοι τὰς ἐπετείους ἀρχὰς ἔχουσιν, ἕπονται δὲ καὶ γυναῖκες καὶ ἄνδρες. τοῖς δὲ παισὶν ἔτι οὖσι καθέστηκεν ἤδη τὴν θεὸν τιμᾶν τῇ πομπῇ· . . . τοῖς δὲ τὴν πομπὴν πέμπουσιν ἕπονται τελείαν ἐξ ἀγέλης βοῦν ἄγοντες διειλημμένην δεσμοῖς τε καὶ ὑβρίζουσαν ἔτι ὑπὸ ἀγριότητος.*

[2] Proclus (apud Phot. *Bibl.* p. 321, Bekkeri): *ἄρχει δὲ τῆς Δαφνηφορίας παῖς ἀμφιθαλής, καὶ ὁ μάλιστα αὐτῷ οἰκεῖος βαστάζει τὸ κατεστεμμένον ξυλὸν ὃ κωπὼ καλοῦσιν, αὐτὸς δὲ ὁ δαφνηφόρος ἑπόμενος τῆς δάφνης ἐφάπτεται . . . ᾧ χορὸς παρ-*

1. Puer (patrimus et matrimus).
2. Puer qui κωπώ portat.
3. Daphnephorus.
4. Chorus virginum.

(*e*) Pompa signorum Dionysi quam Sicyonii ex Cosmeterio in templum quotannis ducebant:[1]

1. Simulacrum quod Baccheus nominatur.
2. Simulacrum quod Lysius nominatur.
3. Sicyonii qui faces accensas ferunt, et patrios hymnos (prosodia) cantant.

(*f*) Pompa Dianae: Patris. Hac de pompa Pausanias nos certiores facit virginem quae sacerdotio fungeretur post agmen pompeutarum biiugo cervorum curru vexisse.[2]

His locis inter se conlatis, etsi concludendum est Graecos pompas alias alio modo ordinare solitos esse, tamen nonnullae de hac re leges sunt quas nos statuere possumus.

Primum vero neminem fugit quosdam quibus hic honor obtigit agmen pompeutarum duxisse. Quod non solum ex vocabulis προπομπία et προπομπεύω apparet sed etiam ex testimonio Lysiae oratoris qui de Minervae pompa apud Athenienses haec nobis tradit (*c. Agoratum*, 80–81): ἐπειδὴ δὲ αἱ διαλλαγαὶ πρὸς ἀλλήλους ἐγένοντο καὶ ἔπεμψαν οἱ πολῖται ἐκ Πειραιῶς τὴν πομπὴν εἰς πόλιν, ἡγεῖτο μὲν Αἴσιμος τῶν πολιτῶν πρὸς τὸ ἄστυ . . . tum Aesimum, simul atque Agoratum inter pompeutas conspexisset, eum ex agmine pepulisse: οὐ γὰρ ἔφη δεῖν ἀνδροφόνον αὐτὸν ὄντα συμπέμπειν τὴν πομπὴν τῇ Ἀθηνᾷ.

Primus in pompis locus summi honoris fuisse videtur. Hic magistratibus summis et sacerdotibus plerumque adsignatus est;

θένων ἐπακολουθεῖ προτείνων κλῶνας πρὸς ἱκετηρίαν τῶν ὕμνων. παρέπεμπον δὲ τὴν δαφνηφορίαν εἰς Ἀπόλλωνος Ἰσμηνίου καὶ Χαλαζίου.

[1] Paus. 2, 7, 5–6: ἄλλα δὲ ἀγάλματα ἐν ἀπορρήτῳ Σικυωνίοις ἐστί· ταῦτα μιᾷ καθ' ἕκαστον ἔτος νυκτὶ ἐς τὸ Διονύσιον ἐκ τοῦ καλουμένου Κοσμητηρίου κομίζουσι, κομίζουσι δὲ μετὰ δᾴδων τε ἡμμένων καὶ ὕμνων ἐπιχωρίων. ἡγεῖται μὲν οὖν ὃν Βάκχειον ὀνομάζουσιν . . . ἕπεται δὲ ὁ καλούμενος Λύσιος. . . .

[2] Paus. 7, 18, 12: πρῶτα μὲν δὴ πομπὴν μεγαλοπρεπεστάτην τῇ Ἀρτέμιδι πομπεύουσι, καὶ ἡ ἱερωμένη παρθένος ὀχεῖται τελευταία τῆς πομπῆς ἐπὶ ἐλάφων ὑπὸ τὸ ἅρμα ἐζευγμένων.

cf. titulum Andaniorum supra laudatum: ἐν δὲ τᾷ πομπᾷ ἀγείστω Μνασίστρατος (summus Andaniorum magistratus), ἔπειτεν ὁ ἱερεὺς τῶν θεῶν οἷς τὰ μυστήρια γίνεται μετὰ τᾶς ἱερέας. Idem fere in pompa Hermionia invenimus (Paus. 2, 35, 5): ἡγοῦνται μὲν αὐτοῖς τῆς πομπῆς οἵ τε ἱερεῖς τῶν θεῶν καὶ ὅσοι τὰς ἐπετείους ἀρχὰς ἔχουσιν. . . . Sed notandum est summum in pompis locum post agmen pompeutarum nonnumquam fuisse. Cf. locum Pausaniae iam laudatum.

Si vero neque magistratus neque sacerdotes locum honorarium habentes prae ceteris pompeutis incesserunt, hunc canephori vel ei qui sacra quaedam portabant accepisse videntur. Cf. pompam Thebanam (p. 32): ἄρχει δὲ παῖς ἀμφιθαλής, καὶ ὁ μάλιστα αὐτῷ οἰκεῖος βαστάζει τὸ κατεστεμμένον ξυλὸν ὃ κωπὼ καλοῦσιν. De canephoris autem plura reperimus. Nam in pompa sacrificali quam vas nigris figuris exornatum ostendit,[1] canephorus primum locum habet et eam ceteri pompeutae qui pompea quaedam portant et hostiam ad aram agunt sequuntur. In pompa phallica etiam apud Aristophanem (*Acharn.* 242 sqq.) non vir qui phallum fert sed canephorus partem ducis agit:

πρόιθ' ἐς τὸ πρόσθεν ὀλίγον ἡ κανηφόρος.

Simili modo cum ab eodem poeta pompa comica utensilium domesticorum inducitur (*Eccl.* 730 sqq., vide p. 16), ex his cribrum farinarium quod ut munere canephorico fungatur arcessitum est, primum in scaenam prodit.

Inde quaestio oritur quinam ceteros pompeutas in ordinem disposuerint. Hac de re quamquam auctores antiqui nobis pauca tradiderunt, tamen hoc munus eis curatoribus qui ἐπιμεληταί dicuntur obtigisse ex decreto Andaniorum conligi potest. Cf. v. 34: ἔπειτεν οἱ ἱεροὶ καθὼς οἱ δέκα (sc. ἐπιμεληταί) διατάξωνται.

Sed inter pares, ne ulla invidia quempiam propter praestantiorem in pompeutarum ordine locum attingeret, res ad sortem revocabatur. Pausanias enim narrat (9, 3, 5–7) omnes Boeotios — Plataeenses, Coronaeos, Thespienses, Tanagraeos, Chaeronenses, Orchomenios, Lebadenses, Thebanos, et alios — sollemnia gravissima quae Daedala magna vocabantur supra iuga Cithaeronis communiter celebrasse. Hos cum

[1] Vide p. 8.

omnia ad res divinas rite instruxissent quo loco quique populus pompam traduceret sortitos esse. Cf. *Descript. Graec.* 9, 3, 7: τὸ δὲ ἄγαλμα κοσμήσαντες . . . παρὰ τὸν Ἀσωπὸν καὶ ἀναθέντες ἐπὶ ἅμαξαν, γυναῖκα ἐφιστᾶσι νυμφεύτριαν· οἳ δὲ αὖθις κληροῦνται καθ' ἥντινα τάξιν τὴν πομπὴν ἀνάξουσι· τὸ δ' ἐντεῦθεν τὰς ἁμάξας ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ πρὸς ἄκρον τὸν Κιθαιρῶνα ἐλαύνουσιν.

Apud Andanios quoque feminae et virgines eodem ordine in pompa se excipiunt quo singulae sortes excidunt. Cf. Ditt. *Syll.* 388, v. 29 sq.: μετὰ δὲ ταῦτα αἱ παρθένοι αἱ ἱεραὶ καθὼς ἂν λάχωντι . . . v. 32: ἔπειτεν αἱ ἱεραὶ κατὰ μίαν καθώς κα λάχωντι . . . praeterea ibidem γυναικονόμῳ mandatum est ut sibi curae haberet ne quaequam ordine egrederetur: v. 33 sq.: ὁ δὲ γυναικονόμος κλαρούτω τάς τε ἱερὰς καὶ παρθένους καὶ ἐπιμέλειαν ἐχέτω ὅπως πομπεύωντι καθώς κα λάχωντι.

V. DE VESTITV POMPEVTARVM

In universum vero vestimenta quae pompeutae Graeci diebus festis sumpserunt fusiora et sumptuosiora fuerunt quam ea quae in usum cottidianum veniebant. Nam a scriptoribus antiquis ornamenta aurea, vestes ex variis subteminibus textae, acu pictae — res pretiosissimae quas Graeci in pompis usurpabant — commemorantur, unde conligi potest cives vel publicos vel privatos ut habitum sollemnibus illis aptum praepararent impensas haudquaquam exiguas facere solitos esse. Itaque ab Aristophane comico docemur pauperes cum vestibus festis ad pompas egerent eas ab amicis locupletioribus mutuatos esse, nam in fabula *Lysistrata* (v. 1189 sqq.) mulier quaedam, mentione vestium stragularum et ornamentorum aureorum facta, haec insuper addit:

ὅσ' ἐστί μοι
οὐ φθόνος ἔνεστί μοι
πᾶσι παρέχειν φέρειν τοῖς
παισίν, ὁπόταν τε θυγά-
τηρ τινὶ κανηφορῇ.

Hactenus haec. Nunc testimonia de huius generis vestimentis ex antiquitate servata adiciamus.

1. Canephori. Habitum canephororum iam supra pp. 14–16 tractavimus.

2. Tibicines. Quamquam nulla apud scriptores veteres de tibicinum vestitu in pompis testimonia inveniuntur, tamen satis constat hos cum tibiis suis publice canerent vestes lineas sine cingulis quae ὀρθοστάδιοι χιτῶνες vocabantur induere solitos esse. Vide Studniczkae libellum qui inscribitur *Beiträge zur Geschichte der altgriechischen Tracht*, pp. 66–67.

3. Pompeutae — feminae et virgines. Vestes autem quibus feminae et virgines in pompa Cereris et Proserpinae apud Andanios vestiebantur titulus de mysteriis (Ditt. *Syll.* 388) commemorat:

ἐν δὲ τᾷ πομπᾷ αἱ μὲν ἱεραὶ γυναῖκες ὑποδύταν καὶ εἱμάτιον γυναικεῖον οὖλον, σημεῖα ἔχον μὴ πλατύτερα ἡμιοδακτυλίου, αἱ δὲ παῖδες καλάσηριν καὶ εἱμάτιον μὴ διαφανές. μὴ ἐχέτω δὲ μηδεμία χρυσία μηδὲ φῦκος μηδὲ ψιμύθιον μηδὲ ἀνάδεμα μηδὲ τὰς τρίχας ἀνπεπλεγμένας μηδὲ ὑποδήματα εἰ μὴ πίλινα ἢ δερμάτινα ἱερόθυτα.

4. Pompeutae — pueri. Pueri in pompis sacris vestimentis lineïs vestiti esse videntur. Pausanias enim haec de pompa Cereris Chthoniae Hermione ducta refert (2, 35, 5): τοῖς δὲ καὶ παισὶν ἔτι οὖσι καθέστηκεν ἤδη τὴν θεὸν τιμᾶν τῇ πομπῇ· οὗτοι λευκὴν ἐσθῆτα καὶ ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχουσι στεφάνους. Habitum autem pueri daphnephori in pompa Apollinis Ismenii et Grandinantis apud Thebanos describit Proclus (ap. Phot. *Bibl.* p. 321, Bekkeri): αὐτὸς δὲ ὁ δαφνηφόρος ἑπόμενος τῆς δάφνης ἐφάπτεται, τὰς μὲν κόμας καθειμένος, χρυσοῦν δὲ στέφανον φέρων καὶ λαμπρὰν ἐσθῆτα ποδήρη ἐστολισμένος, ἰφικρατίδας τε ὑποδεδεμένος. His duobus locis congruit testimonium Eustathi (ad *Iliada* 24, p. 1337, 43) qui de eis dona nuptalia in pompa ferentibus haec refert: δῶρα παρὰ τοῦ τῆς νύμφης πατρὸς φερόμενα τοῖς νυμφίοις ἐν σχήματι πομπῆς· παῖς γάρ, φησίν (Pausanias), ἡγεῖτο χλανίδα λευκὴν ἔχων καὶ λαμπάδα καιομένην, ἔπειτα παῖς ἑτέρα κανηφόρος, εἶτα λοιπαί, κτλ.

5. Pompeutae — viri. De vestitu virorum qui in pompis ducendis partes quasdam susceperunt nulla fere aut pauca admodum reperiri possunt. Sed in universum hi omnes vestes acu pictas et textura pretiosissimas induebant. Vide pp. 14–15 sub cap. 1. Ex opere autem Satyri scriptoris Peripatetici haec de Alcibiade refert Athenaeus (12, 534 C): ὅτε δὲ χορηγοίη πομπεύων ἐν πορφυρίδι εἰσιὼν εἰς τὸ

θέατρον ἐθαυμάζετο οὐ μόνον ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τῶν γυναικῶν.

His locis inspectis, nonnullas ad habitum pompeutarum leges invenimus:

1. Primum vero haud dubitamus quin apud Graecos quidam quasi rituales libri exstiterint in quibus praescriptum est quae vestimenta pompeutae in festis celebrandis sumere deberent. Huc enim revocandum est decretum Andaniorum supra passim laudatum quod non solum vestimenta certa pompeutis praestituit sed etiam feminae et virgines quibusdam ornamentis uti prohibet. Horum in numero minium et cerussa sunt, quibus cum multae mulieres Graecae genas suas tingere solebant, tum maxime meretrices. In eodem titulo decernitur decori causa ut neque feminae ullae neque virgines vestes tralucidas induant.

2. Ornamenta autem aurea quibus, ut satis certis exemplis supra demonstravimus, canephori multis in urbibus utebantur, apud Andanios legibus sacris vetita sunt.

3. Canephori et pompeutae alii ornamenta quaedam vel *φάρμακα* quo omina mala averterent gerere solebant.

4. Omnibus in urbibus mos fuisse videtur ut ei qui in pompis sacris prodirent vestibus fusis et usque ad talos dimissis vestirentur. Cf. vocc. *ξυστίς* (*ποδῆρες ἔνδυμα*) p. 15; *καλάσηρις* p. 36; *λαμπρὰν ἐσθῆτα ποδήρη* p. 36. Pictor autem vasculi veteris (supra p. 8) quamquam secundum simplicitatem rudioris artis nonnullos pompeutas nudos depinxit, canephorum tamen, tibicinem, et alios qui partes in pompa graviores suscipiunt, habitu proprio indutos repraesentavit.

5. Vestimenta puerorum in pompis ex lino facta esse docent loci supra laudati ubi voces *λαμπρός* et *λευκός* occurrunt. Cf. Studniczkam, *Beiträge zur Geschichte der altgriechischen Tracht*, p. 56. Tibicines quoque eundem habitum sumpsisse hic vir doctus (ibidem p. 66) demonstrat.

VI. DE CVRATORIBVS POMPARVM

De curatoribus qui vasis pompalibus faciendis creati sunt iam alio loco (p. 20 sq.) disseruimus. Nunc restat ut de eis qui pompas instruendas susceperunt quaestionem instituamus.

1. Archontes. Archontem eponymum Athenis graviora festa administrare solitum esse et aliunde[1] satis constat et ex loco apud Aristotelem qui memoriae tradit archontem pompas Aesculapi, Dionysi, Apollinis Dianaeque, et Iovis Soteris ducendas curavisse (*Respub. Athen.* 56, 4–5):

πομπῶν δὲ ἐπιμελεῖ[ται τῆς τε] τῷ Ἀσκληπίῳ γιγνομένης ὅταν οἰκουρῶσι μύ[σ]ται καὶ τῆς Διονυσίων τῶν [μεγά]λων μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν . . . ἐπιμελ[εῖται] δὲ καὶ τῆς (sc. *πομπῆς*) *εἰς Θαργήλια καὶ τῆς τῷ Διὶ τῷ Σωτῆρι.*

Ad haec officia spectat titulus honorarius (Ditt. *Syll.* 2. 382):[2]

ἐπειδὴ δὲ ὁ ἄρχω[ν τά]ς τε ἄλλας θυσίας τέθυκεν, ὅσας αὐτῷ προσῆκεν ὑπὲρ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου καλῶς καὶ εὐσεβῶς ἐπιμεμέληται δὲ καὶ τῆς πομπῆ[ς] τῷ Διονύσῳ, κτλ. . . . ἐπαινέσαι.

Deinde ab Aristotele discimus archontem regem Eleusinia maiora minoraque et Lenaea celebranda curavisse et pompas horum sollemnium una cum curatoribus duxisse. *Respub. Athen.* 57, 1 sq.:

[ὁ δὲ] βασιλεὺς πρῶτον μὲν μυστηρίων ἐπιμελεῖ[ται μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν . . . ἔπειτα Διονυσίων τῶν ἐπὶ Ληναίῳ. ταῦτα δ' ἐστὶ [πομπὴ καὶ μουσικῆς ἀγών· τὴν] μὲν οὖν πομπὴν κοινῇ πέμπουσιν ὅ τε βασιλεὺς καὶ οἱ ἐπιμεληταί. . . .

Idem archon autem Arrhephoria et Anthesteria[3] rite administranda curabat et feminas atque virgines quae his et aliis sollemnibus in pompis muneribus sacris fungerentur seligere solebat. Cf. Suidam

[1] Pollux, 8, 89: *ὁ δὲ ἄρχων διατίθησι μὲν Διονύσια καὶ Θαργήλια μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν.*

[2] Anno 281/280 a. C.

[3] Cf. Ar. *Acharn.* 1224 cum Schol.; Ar. *Plut.* 1197; Pauly-Wissowa, *Real-Encycl.* III, 1, p. 74.

(s. v. ἐπιώψατο)· ὁ βασιλεὺς ἐπιώψατο (= κατέλεξεν) ἀρρηφόρους. Auctor anonymus apud *E. M.* (s. v. ἀρρηφορεῖν) has virgines suffragiis adhibitis electas esse adfirmat.

Fuerunt autem γεραραί quaedam quae festo die quo ἱερὸς γάμος celebrabatur pompam Dionysi una cum archontis regis uxore ducebant. Quo modo hae feminae selectae sint docet Pollux (8, 108): γεραραί· αὗται ἄρρητα ἱερὰ Διονύσῳ ἔθυον μετ' ἄλλης θεωρίας. καθίστη δὲ αὐτὰς ὁ βασιλεὺς οὔσας τετταρασκαίδεκα.

Non abest igitur suspicio quin canephori quoque ab archonte rege captae sint. Cf. quae de hac re nos supra p. 13 diximus.[1]

2. Ἐπιμεληταί. Ἐπιμεληταί curatores Athenis fuerunt qui ut archontes annuos in sollemnibus curandis adiuvarent vel sorte vel suffragio populi creati sunt. Praeterea in aliis Graeciae urbibus ἐπιμεληταί fuerunt quibus idem munus obtigit. Iam singula quae ad horum curatorum administrationem in pompis ducendis pertinent examinare licet.

Primum vero fuit Athenis collegium decem curatorum qui sub archonte eponymo has pompas instruendas suscipiebant:

(*a*)	Pompa	Aesculapi.	Arist. *Respub. Athen.* 56, 4–5.
(*b*)	"	Dionysi (Dionysia maiora).	
(*c*)	"	Apollinis et Dianae.	
(*d*)	"	Iovis Soteris.	
(*e*)	"	Minervae (Panathen. maiora).[2]	

Hi decem curatores usque ad annum 351 ante Christum natum suffragio populi creati sunt.[3] Postea vero, ut ex Demosthenis loco conligi potest, sunt sorte ducti. Cf. orat. *in Phil.* 1, 35. Eodem quoque modo curatores seligebantur cum libellum illum de republica Atheniensium Aristoteles componebat; vide cap. 56, 4: τῶν ἐπιμελητῶν οὓς πρότερον μὲν ὁ δῆμος ἐχειροτόνει δέκα ὄντας . . . νῦν δ' ἕνα τῆς

[1] Leges sacrae (βασιλέως νόμοι vel νόμος, apud Athenaeum, 234 F–235 B, et Pollucem, 3, 39; 6, 35) quas archon rex in festis colendis observabat nobis non superstites sunt.

[2] Dem. *in Phil.* 1, 35: τὴν μὲν τῶν Παναθηναίων ἑορτὴν καὶ τὴν μὲν τῶν Διονυσίων ἀεὶ τοῦ καθήκοντος χρόνου γίγνεσθαι, ἄν τε δεινοὶ λάχωσιν ἄν τ' ἰδιῶται οἱ τούτων ἑκατέρων ἐπιμελούμενοι.

[3] Dem. *contra Mid.* 15.

φυλ[ῆς ἑκά]στης κληροῖ. Proximo saeculo tamen suffragiis adhibitis electi sunt. Cf. titulum (Ditt. *Syll.* 382) anno 281/0 a. C. exaratum. Denique anno 188/7 a. C. viginti quattuor curatores suffragio populi creatos esse docet decretum Atticum *CIA.* 2, 240.

Deinde aliud collegium curatorum fuit qui archontem regem adiuverunt. Hi quattuor numero fuerunt. Cf. Aristotelem (*De Repub. Athen.* 57, 1) : *ὁ δὲ βασιλεὺς πρῶτον μὲν μυστηρίων ἐπιμελεῖ[ται μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν οὓς] ὁ δῆμος ἐχειροτόνει, δύο μὲν ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, ἕνα δ' ἐξ [Εὐμολπιδῶν, ἕνα] δ' ἐκ Κηρ[ύκω]ν. ἔπειτα Διονυσίων τῶν ἐπὶ Ληναίῳ. ταῦτα δ' ἐστὶ [πομπὴ καὶ μουσικῆς ἀγών· τὴν] μὲν οὖν πομπὴν κοινῇ πέμπουσιν ὅ τε βασιλεὺς καὶ οἱ ἐπιμεληταί. . . .* Pompae igitur quas hi viri ducendas suscipiebant sunt hae :

(*a*) Pompae Eleusiniorum (mai. et min.).
(*b*) Pompa Lenaeorum.

Exstat autem titulus Atticus (vel Boeotius) qui de curatoribus pompae Amphiarai apud Oropios testatur :[1]

ἐπειδὴ οἱ χειροτονηθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου ἐπὶ τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ ἀγῶνος καὶ τῶν ἄλλων τῶν περὶ τὴν ἑορτὴν τοῦ Ἀμφιαράου καλῶς καὶ φιλοτίμως ἐπεμελήθησαν τῆς τε πομπῆς τῷ Ἀμφιαράῳ . . . ἐπαινέσαι τοὺς αἱρεθέντας (sequuntur decem nomina propria) *δικαιοσύνης ἕνεκεν καὶ φιλοτιμίας τῆς πρὸς τὸν θεόν. . . .*

Tres fuerunt *ἐπιμεληταί* apud Ilienses qui pompam Minervae ducebant. Cf. titulum *CIG.* 2, 3599 :[2]

. . . τῆς δὲ πομπῆς ἐπιμελητὰς [εἶναι τόν τε ἱερέα] τῶν πάντων θεῶν καὶ τὸν ἀγωνοθέτην καὶ τὸν ἐγλογιστήν. [ἐπιμελείσθων δ' ὅπ]ως κατὰ κάλλος πομπεύωσιν ὡς καὶ ἐπάξια πομπῆς.

3. *Ἱεροποιοί.* His de sacrificulis quoniam vir doctus Doermerus ante hos sedecim annos plurima congessit et erudite pertractavit,[3] propositum est nobis hoc loco rem summatim attingere et ceteris sacrificulorum officiis omissis ea tantum disponere quae ad pompas pertinent.

---

[1] *CIG. Septen.* 4254 (329/8 a. C.).

[2] Quin hic titulus tertio vel secundo a. C. saeculo exaratus sit non dubitat Boeckhius.

[3] *De Graecis Sacrificulis qui ἱεροποιοί dicuntur, Diss. Argent.* 1883.

Primum vero hos sacrificulos pompas agendas suscepisse satis late patet ex loco apud Demosthenem reperto (orat. *in Phil.* 1, 26):

οὐκ ἐχειροτονεῖτε δ' ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δέκα ταξιάρχους καὶ στρατηγοὺς καὶ φυλάρχους καὶ ἱππάρχους δύο; τί οὖν οὗτοι ποιοῦσιν; πλὴν ἑνὸς ἀνδρός, ὃν ἂν πέμψητ' ἐπὶ τὸν πόλεμον, οἱ λοιποὶ τὰς πομπὰς πέμπουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν.

His de muneribus autem titulus Atticus (Ditt. *Syll.* 380) quarto a. C. saeculo exeunte exaratus haec servat:

[ὅπως ἂν . . . εὐ]σ[εβ]ῶς κα[ὶ] . . . κατ' ἐνιαυτὸν κ[αὶ τελεσθῇ ἡ πομπὴ παρεσκε[υασμ]ένη ὡς ἄριστα τῇ Ἀθηνᾷ καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν ὑπὸ τῶν ἱεροποιῶν . . . v. 17 sqq.: *βοωνήσαντες οἱ ἱερ[οποιοὶ μετὰ τ]ῶν βοωνῶν πέμψαντες τὴν πομπὴν τῇ θε[ῷ κτλ.* . . . denique his mandatur: *τὴν πομπὴν πέμπε[ιν ἅμα ἡ]λίῳ ἀνιόντι.*

Deinde ex eodem titulo apparet hos sacrificulos in pompa ducenda officiisque administrandis iussos esse eos qui sibi non obtemperaturi essent poenis lege constitutis adficere:[1]

τοὺς δὲ ἱεροποιοὺς τοὺς διοι[κοῦντας τ]ὰ Παναθήναια τὰ κατ' ἐνιαυτὸν ποιεῖν τὴν πα[ννυχίδα] ὡς καλλίστην τῇ θεῷ καὶ τὴν πομπὴν πέμπε[ιν ἅμα ἡλίῳ ἀνιόντι, ζημιοῦντας τὸν μὴ πειθαρχο[ῦντα ταῖς ἐκ] τῶν νόμων ζημίαις.

Postremo his sacrificulis vel hominibus saltem qui *ῥαβδοφόροι* dicuntur mandatum est ut eos qui legibus sacris ad sollemnia et pompas pertinentibus minus obsequentes essent virgis coercerent et in ordinem cogerent.[2] Hac de re gravissimum testimonium praebet titulus Mysiae, *CIG.* 2, 3599:

καθιστάναι [δὲ καὶ ἄνδρας . . .] τοὺς τῆς εὐταξίας ἐπιμελησομένους, καὶ τοὺς καταθέντας ἔχειν [ἐξουσίαν τοὺς ἀτακτ]οῦντας τῇ ῥάβδῳ κολάζειν. ἄγε[ιν] δὲ τὴν πομπὴν ἐκ τῶν βασιλ[είων ᾗτινι ἂν ὁδῷ] διατάξω[σι]ν οἷς ἐπιτέτακται. . . .

4. *Ἀθλοθέται, Ἀγωνοθέτης.* Quarto a. C. saeculo *ἀθλοθέτας* decem Athenis sorte constitutos esse qui pompam et ceteras Panathenaeorum

---

[1] Cf. Doermerum pp. 28–29.

[2] Cf. Doermerum p. 29.

caerimonias administrarent ab Aristotele nobis proditum est; *De Repub. Athen.* 60:

κληροῦσι δὲ καὶ ἀθλοθέτας δέκα [ἄ]νδρας ἕνα τῆς φυλῆς ἑκάστης. οὗτοι δὲ δοκιμασθέντες ἄρχουσι τέτταρ[α ἔ]τη, καὶ διοικοῦσι τήν τε πομπὴν τῶν Παναθηναίων τὸν ἀγῶνα τῆς μουσικῆς καὶ τὸν γυμνικὸν ἀγῶνα καὶ τὴν ἱπποδρομίαν, κτλ.

Pauca quae ad agonothesiam pertinent decretum Atticum (*CIA.* 4, 421, c) ostendit:

[καὶ πάντ]α τὰ πρὸς τὴν πομπὴν καὶ [τ . . . σ]ωζομένας τοῖς [. . . ἐπο]ίησεν μεγαλομερῶς καὶ [τὸν ἀγῶνα ἔθηκε]ν ἀξίως τῆς τε [ἀρχῆς κα]ὶ τοῦ χειροτονήσαντος [αὐτὸν δήμου, ἔ]λεξεν δὲ καὶ [κανηφόρον] τὴν ἑαυτοῦ θυγατέ[ρα . . . quo de munere Koehlerus (*CIA.* ad loc.) sic scripsit: *curam ludorum Panathenaicorum recentiore aetate non iam apud athlothetas tributim creatos sed penes agonothetam fuisse ex hoc titulo certe cognoscitur.* Idem vir doctus adfirmat agonothesiam paulo post annum 308 a. C. institutam esse.

5. Sodalicia — Cives privati. Hi omnes curatores — archontes, ἐπιμεληταί, ἱεροποιοί, ἀθλοθέται, ἀγωνοθέται — pompas in publicis deorum festis instruendas curaverunt. Fuerunt etiam sodalicia quaedam. quae pompas ducere solebant. Cf. titulum *CIA.* 4, 611, b. Hunc lapidem sodales Veneris ut collegam Stephanum propter diligentiam et pietatem in sacris faciendis laudarent statuerunt:

Ἐπὶ Νικοκλέους ἄρχοντος.[1] ἔδοξεν τοῖς θιασιώταις· ἐπει[δὴ] Στέφανος θωρακοποιὸς ἐπι[με]λητὴς γενόμενος τῶν κοινῶ[ν πάν]των ἐπιμεμέληται τὴν ἐπιμ[έλ]ειαν ἣν ἔδει αὐτὸν ἐπιμελη[θῆν]αι καὶ τἆλλα φιλοτιμούμεν[ος δι]ετέλεσεν ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ κ[αὶ τ]ὴν πομπὴν τῶν Ἀδωνίων ἔπεμ[ψε κ]ατὰ τὰ πάτρια, τύχῃ ἀγαθῆ[ι δ]εδόχθαι τοῖς θιασιώταις ἐπα[ινέ]σαι Στέφανον, κτλ.

Cives privatos, cum res poscerent, pompas suo iure ducere solitos esse loci Aristophanis quos nos passim adnotavimus satis perspicue demonstrant. Vide *Acharn.* 242 sqq. ubi rusticus quidam ut Dionysia celebraret pompam phallicam, filia et servo adiuvantibus, ordinat. Cf. etiam *Eccl.* 730 sqq. et *Plut.* 1197 sqq.

---

[1] Anno 302/1 a. C.

VII. DE VIIS PRAEPARANDIS

Erat vero religioni Graecorum consentaneum vias quibus pompae ad templa deorum ducebantur magna cum cura munitas esse. Itaque priscis temporibus filii Vulcani (κελευθοποιοὶ παῖδες Ἡφαίστου, Aesch. *Eum.* v. 13) viam ad Delphicum Apollinis templum fecerunt. Viam quoque sacram ab Athenis usque ad Eleusin productam esse omnes sciunt. Battus autem qui anno 628 ante Christum natum coloniam Cyrenen condidit, viam qua pompae a foro urbis ad fanum Apollinis ire possent, planam et expeditam per saxa fecit. Cf. Pind. *Pyth.* 5, 89–93:

κτίσεν δ' ἄλσεα μείζονα θεῶν,
εὐθύτομόν τε κατέθηκεν Ἀπολλωνίαις
ἀλεξιμβρότοις πεδιάδα πομπαῖς
ἔμμεν ἱππόκροτον
σκυρωτὰν ὁδόν, ἔνθα πρυμ-
νοῖς ἀγορᾶς ἔπι δίχα κεῖται θανών.

Viae igitur ad templa frequentissima ductae sunt. Deinde notandum est Graecos cum dies festi instarent, ne aliquid mali accideret, plateas et vicos urbis quibus pompae sacrae incessurae essent, a quisquiliis et sordibus purgare solitos esse. Hac de re gravissimum testimonium adhibet titulus Atticus (Ditt. *Syll.* 2, 337, anno 320/19 a. C.) qui in Piraeo inventus est. In hoc enim decreto cautum est ut curatores quibus hoc officium obtigit viam qua pompa Iovis Soteris et Dionysi itura esset sub dies festos a sordibus purgarent et ad libramentum proprium redigerent:

ἐπιμεληθῆναι τοὺς ἀγορανόμους τῶν ὁδῶν τῶν πλατειῶν ᾗ ἡ πομπὴ πορεύεται τῷ Διὶ τῷ Σωτῆρι καὶ τῷ Διονύσῳ ὅπως ἂν ὁμαλισθῶσιν καὶ κατασκευασθῶσιν ὡς βέλτιστα . . . ὅπως δ' ἂν καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον ὡς βέλτιστα ᾖ [κα]τε[σκευασμέν]α τά τ' ἐν τῇ ἀγορᾷ τῇ ἐμ Πειραεῖ καὶ τὰ ἐν ταῖς ὁδοῖς μὴ ἐξεῖ[ν]αι [μηδενὶ μήτε] χοῦν κα[ταβά]λλειν μήτε ἄλλ[ο μηδὲν μήτε] κόπρο[ν μήτε ἐ]ν τῇ ἀγορᾷ μή[τ]' ἐ[ν] ταῖς ὁδοῖς [μηδαμοῦ. . . . Praeterea his curatoribus mandatum est ut ab eis qui hoc decretum perfregissent poenas lege constitutas persequerentur: ἐὰν δέ τις τ]ούτων τι ποιεῖ, ἐὰμ μ[ὲν δοῦλος ᾖ . . .] α μά[στ]ιγ[ι] 𐅅 πληγάς . . . ἀνάγκ[ε]ι θερ . . . αὐτῷ ε . . . τες αν . . . ον. . . .

Num aqua veteres Graeci cum pompas ducturi essent vias propter pulverem conspergere soliti sint certis exemplis non confirmari potest.

VIII. DE SVMPTIBVS POMPARVM

Quod ad sumptus pomparum attinet, neminem fugit Graecos in festis celebrandis, hostiis emendis, pompis ludisque instruendis permagnam pecuniam consumpsisse. Verum horum sollemnium impensae in rationibus quaestorum ita sunt inter se connexae et indiscretae omnes ut quantam pecuniam curatores ad pompas solas apparandas impenderint nullo modo satis enucleari possit. Sed tamen ex testimonio scriptorum et inscriptionum Graecarum constat pecuniam quae in hos sumptus erogata sit curatoribus festorum aut ex aerario publico aut ex loculis civium opulentiorum numeratam esse. Primum igitur de pecunia ex privatis civium opibus in festa impensa quaerere licet.

Notum est vero morem Atticis fuisse ut cives divitiores ad publica munera suscipienda lege constituti quae *λητουργίαι* vocabantur, quasdam rei publicae impensas suis copiis persolverent. De his liturgiis quidem quae ad pompas pertinent paucissima apud scriptores antiquos reperiuntur.[1] Aristoteles in libro illo quem de republica Atheniensium scripsit nobis tradit aetate superiore curatores (*ἐπιμελητάς*) suam pecuniam in festa et pompas erogavisse. Cf. cap. 56, 4:

> *πομπῶν δ' ἐπιμελεῖ[ται* (sc. *ὁ ἄρχων*) *τῆς τε τῷ Ἀσκληπίῳ γιγνομένης . . . καὶ τῆς Διονυσίων τῶν [μεγά]λων μετὰ τῶν ἐπιμελητῶν, οὓς πρότερον μὲν ὁ δῆμος ἐχειροτόνει δέκα ὄντας [καὶ τὰ] εἰς τὴν πομπὴν ἀναλώματα παρ' αὑτῶν ἤν[εγκ]ον, νῦν δ' ἕνα τῆς φυλ[ῆς ἑκά]στης κληροῖ καὶ δίδωσιν εἰς τὴν κατασκευὴν ἑκατὸν μνᾶς.*

Deinde sequitur quaestio de pecunia ex aerario publico. Hac de re ex duobus titulis discimus rem publicam Atheniensium athlothetis qui anno 415 a. C. Panathenaea magna curaverunt talenta novem numeravisse (*CIA*. 1, 183), sed paucis post annis, clade Siciliensi accepta, in eisdem sollemnibus apparandis quinque talenta tantum una cum mille drachmis consumpsisse (*CIA*. 1, 188). Tum sequente saeculo Aristoteles testatur suo tempore populum curatoribus tributim sorte ductis

---

[1] De pomparum sumptibus Boeckhius (*Die Staatshaushaltung der Athener*) nusquam disputat.

centum minas ad festa Aesculapi et Dionysi rite celebranda et pompas instruendas dedisse; vide locum quem supra laudavimus. Eodem fere tempore exaratus est titulus *CIA.* 2, 163 qui de pompa Minervae quotannis ducta haec praebet:

> *[εἰς δὲ τὰ μι]σθώματα τῆς πομπῆς καὶ τὸ μαγειρικὸν κα[ὶ κόσμησιν] τοῦ βωμοῦ τοῦ μεγάλου καὶ τἆλλα ὅσα προσ[ήκει προνο]εῖσθαι περὶ τὴν ἑορτὴν καὶ εἰς παννυχίδα [διδόναι] 𐅄 δραχμάς.*

Ilienses autem tertio vel secundo a. C. saeculo annuam usuram quam ex pecunia publica apud argentarios adlocata acceperant in sollemnia et pompam Minervae impendere solebant. *CIG.* 3599:

> *ἀπὸ δὲ τῆς προσόδου γίνεσθαι ἀνὰ πᾶν ἔτος ἐν τῷ Παναθην[αίῳ ἐν τῇ ἑορ]τῇ τῶν Ἰλιακῶν πομπὴν καὶ θυσίαν τῇ Ἀθηνᾷ. τοὺς δὲ τραπε-[ζίτας διδόναι ἑκάσ]του ἔτους ἀπὸ τῆς προσόδου τῇ ἑνδεκάτῃ ἐν τῷ Παναθηναίῳ [τοῖς ἐφ' ἑκάστη]ς φυλῆς αἱρεθησομένοις φυλάρχαις κατὰ φυλὴν δραχμὰς ἑκα[τὸν καὶ πεντήκον]τα, τριώβολον [ἀν]ατριακοσιολόγιστον, καὶ τὸ ἥμισυ ἀργύριον.*

Haec habuimus de rebus ad pompas sacras apud Graecos pertinentibus quae diceremus. Speramus vero fore ut rem omnem hoc initio facto liceat multo fusius postea pertractemus.